AUTHOR:

PREHN, ALVIN

TITLE:

QUAESTIONES PLAUTI-
NAE DE PRONOMINIBUS

PLACE:

ARGENTORATI

DATE:

1887

Master Negative #

92-80599-17

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books       FUL/BIB   NYCG92-B31870          Acquisitions      NYCG-PT
Record 1 of 0 - Record added today
+
  ID:NYCG92-B31870            RTYP:a    ST:p   FRN:   MS:   EL:      AD:05-06-92
  CC:9668  BLT:am      DCF:?    CSC:?   MOD:     SNR:     ATC:       UD:05-06-92
  CP:xx      L:lat     INT:?    GPC:?   BIO:?    FIC:?     CON:???
  PC:s       PD:1887/           REP:?   CPI:?    FSI:?     ILC:????   II:?
  MMD:       OR:     POL:     DM:     RR:          COL:        EML:       GEN:   BSE:
  040      NNC=|cNNC
  100 1    Prehn, Alvin.
  245 10   Quaestiones Plautinae de pronominibus indefinitis=|h[microform].
  260      Argentorati,=|bApud Schultzium et Sodales,=|c1887.
  300      30 p.
  LDG      ORIG
  QD       05-06-92
```

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm   REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 6-9-92   INITIALS M.J.C.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

QUAESTIONES PLAUTINAE

DE

PRONOMINIBUS INDEFINITIS.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ALVINUS PREHN

SAXO-BORUSSUS.

ARGENTORATI

APUD SCHULTZIUM ET SODALES.

MDCCCLXXXVII.

1887

Quaestiones de pronominum indefinitorum usu Plautino ita instituam, ut non plene cuiusque pronominis usum enarrem, sed ut ea pluribus exsequar, quae alicuius momenti esse videntur ad versus corruptos emendandos vel ad sententias difficiliores explicandas. Adiutus autem sum in hac qualicumque commentatione conscribenda a ***Guilelmo Studemund*** praeceptore meo carissimo, qui codicum Plautinorum a se collatorum lectiones etiam, postquam Argentorato Vratislaviam migravit, liberalissime mecum communicavit, quotienscumque precibus eum adii.

---

§ 1.

De **quisquis** *pronomine.*

Plaut. Cas. II 2, 13 Geppertus sic scripsit:

Crédo ecástor, nám vicinam néminém meritó magis
Quám te amó, nec quácum plúra sínt mihí, **quae**[**quae**] *égo velim.*

Libri manu scripti octonarium anapaesticum cum versu ex duabus tripodiis trochaicis catalecticis consuto (cf. Studemundum, De canticis Plautinis pag. 16 seq.) videntur exhibere:

Credo écastór, nam vícinám nemínem amo mérito mágis quam té,
Néc qua in plúra sínt mihi **quae** *egó velim.* De verborum *qua in* collocatione cf. Studemundum in Actis philolog. Carolsruhens. pag. 58; *qua in plura sint* habet A teste Studemundo, *qua inplura sunt* B, *qua in plura sunt* E', *quā plura sunt* J (quem codicem saeculo undecimo scriptum esse testis oculatus est Studemundus). Andreas Spengelius (Reformvorschläge etc. pag. 355) maluit:

Crédo ecastor, nám vicinam néminem meritó magis
Quám te amo nec [quisquamst], quacum plúra sunt mi **quae** *égo velím.* Ipse tamen addidit verba *nec qua in* nondum persanata esse. Gepperti emendationem parum feliciter excogitatam neque recedendum esse a librorum memoria apparebit, ubi pronominis *quisquis* usum accuratius exposuero.

I. Primaria huius pronominis significatio relativa iam Plauti temporibus ex Romanorum memoria adeo ceciderat, ut in certis quibusdam locutionibus idem significaret quod *quisque*:

1) Plaut. Men. 827 *quae molestast mihi quoquo modo.*
2) Ter. Eun. 1083 *Mirum ni illoc homine quoquo pacto opust.*
3) Adelph. 342 *Quapropter quoquo pacto tacitost opus.*

4) Pl. Pœn. 536 *Sed tamen quom eo quom quiqui, quamquam sumus pauperculi,*
Est domi quod edimus: ne nos tam contemptim conteras (*quomeo quom qui qui quam quam* B, *quo meo cum cuiquam quam* C D). Recedendum non esse a codicis B lectione demonstravit Buechelerus (in Woelfflinii Archiv f. lat. Lexicogr. I 279 sq.), qui sic fere disserit: *Quiqui* esse ablativum; *quom* praepositione adhibita sententiam evadere condicionalem; *cum eo, quod* semper in usu fuisse; *quom eo* pertinere ad rem aliquam non mente fictam, sed revera exstantem, *quom quiqui* autem ad rem animo fictam; vertendum esse: «trotz dem und trotz allem sonst»; totam locutionem sumptam esse ex iuris peritorum sermone, qui eiusmodi formulas adamaverit. Agitur autem hoc in versu de hac re: Agorastocli, ut Lycum lenonem decipiat, advocatorum opera opus est. Arcessivit igitur eos de foro proceditque cum eis in scaenam. Properanti autem cum testes illi «spissigradissumi» segniores incedant, maledicta in eos ita ingerit, ut dicat: Si ad prandium vos vocassem, celeriores essetis quam cervi. «Recte tu quidem», respondent illi, «nam haud spernendum est prandium ab alio datum. *Sed tamen quom eo quom quiqui* . . . . .»

5) In eiusdem Poenuli v. 588 Milphio servus ad irridendos eosdem advocatos eadem utitur locutione. Qui postquam dixerunt: *di te perdant*, et ipse devotione utitur: *vos quidem hercle*, addit autem sollemnem illam formulam: *quom eo quom quiqui* «trotz dem und alledem» *tamen et bene et benigne facitis* «seid ihr brave Leute».

6) Eandem atque horum duorum versuum esse condicionem Cas. III 1, 10, cuius septenarii haec est forma in Gepperti editione: *Cúm cibo suo quiqui facito ut véniant, quasi eant Sútrium*, Studemundus nos docuit in scholis Argentorati habitis. Ubi cum in B sit *Cum cibo cum quiqui*, in E *cum cibo Cum quiqui*, in J *cum cibo Tum qui qui*, cum praeterea apud Festum[1]) pag. 310 M. legatur *cum suo cuique facito veniant quasi eant Sutrium*, apparet Studemundum recte emendasse: *Cúm cibo cum quiqui facito ut véniant, quasi eant Sútrium.*

7) Trin. 881 *Si unum quidquid singillatim et placide percontabere.*

8) Asin. 326 *Placide ergo unum quidquid rogita* (codices Palatini fere: *quidque derogita*).

9) Ter. Adelph. 590 *Nam iam adibo atque unum quicquid . . . . . carpam.*

Quibus in versibus verba *unum quicquid* unam quasi notionem efficiunt: «ein jedes, was es auch sei»; cf. Lorenzium ad Most. 831[2]).

De horum versuum omnium memoria ut dubitandum non est, quippe quae exemplis ex aliis scriptoribus petitis commendetur, ita, cum nusquam alibi *quisquis* legatur post vocabula *ut* aut *ubi*, id quod saepissime fit pronomini *quisque*, duos alios versus, qui huic de quo agitur usu vindicari solent, sic scribendos esse puto:

---

[1]) Idem Festus, unde haec formula orta sit, nos docet his verbis: «*Sutrium quasi eant* utique in proverbium abi ex hac causa. Gallico tumultu quondam edictum est, legiones Sutrii ut praesto essent cum cibo suo. quod usurpar coeptum est in iis, qui suis rebus opibusque offici id + praestarent, quibus deberent.»

[2]) Docet vir doctus hunc eundem usum sexies inveniri apud Lucretium, qui et ipse verbis *primum quicquid* ter utatur alia exempla Catonis scripta (*suum quidquid:* r. r. 7, 1; 48, 1; *uti quidquid:* 57, 2) praebere et inscriptiones

Most. 831 *Satin habes?* # Ut ***quicque*** *magis contemplor, tanto magis placet* (*quicquid* A B[2] C D et Lorenzius; *quidquid* B[1]; *quicque* Camerarius, Ritschelius, Pennigsdorfius).

Aul. 198 *Ego istos novi polypos qui ubi* ***quicque*** *tetigerunt tenent* (*quicquid* D J et Goetzius, Lorenzius; *quidquid* B; *quidque* Gronovius, Pennigsdorfius; *quid* Pylades).

II. Contra ceteris locis omnibus relativa vis luculenter perspicua est. Ac primum quidem hoc fit in certis quibusdam formulis, ex quibus primo loco tractabo formulam *quisquis es(t)*; quibus verbis Plautus saepissime ita utitur, ut, ubi altera duarum personarum, cui alterius nomen ignotum est, hanc alloquitur, nominis loco hac utatur formula. Veluti Mil. 454 *Vi me cogis,* ***quisquis es*** verba pronuntiat Philocomasium, e Periplecomeni domo cum exiret, a Sceledro servo deprehensa et arrepta, cum antea (451 sq.), ut ostenderet se Sceledrum illum numquam vidisse neque novisse, dixisset:

Ego istam domum
Neque moror neque vos, qui homines sitis, novi neque scio.

Pro hac simplici legitur plenior locutio, quam duce codice A non Harpagi, sed Pseudolo Harpagem appellanti tribuit Studemundus in scholis Argentoratensibus: Pseud. 639 ***Quicquid est nomen tibi.***

Ambae locutiones coniunctae leguntur:

Men. 811 ***Quisquis es, quicquid tibi nomen est,*** *senex*, ...

Ceterum hae de quibus ago formulae non nisi certas versuum sedes occupant. Leguntur enim

1) in initio versuum trochaicorum
   α) primi coli: Men. 811, Pseud. 605, 1141, Rud. 628, Truc. 595; — Ter. Adelph. 321.
   β) alterius coli: Men. 1021, Merc. 436.
2) in clausulis: Amph. 1041, Cist. II 3, 66, Men. 278, 293, 501, 1065, Mil. 427, 454, Most. 964, Pers. 546, Rud. 584, 1146, Trin. 1015.
3) ita, ut desinant in iambici senarii pedem quartum absolutum: Rud. 108.
4) in canticis: Amph. 1075a, Pseud. 251, Rud. 944 (*Enicas iam me odio, quisquis es*), 955, Truc. 119.

Praeter illum quem supra commemoravi locum invenitur apud Terentium contra Plauti sermonis usum *quisquis es* in altera primi coli dipodia Phorm. 195. Sequi solere in fabulis Plautinis has formulas aut praecedere iis votum vel devotionem recte monuit Pennigsdorfius.[1])

Transeo ad usum formulae ***quicquid est*** exponendum. Significat autem aut *omnia quae* aut idem atque *qualecumque*, quo vocabulo fabulae Plautinae aeque ac Terentianae carent; quas tamen significationes in omnibus versibus accurate distingui et inter se secerni posse contendere nolim. Rectam viam ad plurima huius formulae exempla in certas classes distribuenda demonstravit Brixius: *quicquid est* aut subiecti loco aut tamquam obiectum esse positum. Atque obiecti quidem vice fungitur verbo finito praecedente: Asin. 295[2]), Aul. 639, Bacch. 996, Men. 560,

---

[1]) De *Quisque* et *Quisquis* ap. com. lat. usu commentatio (Halis 1878).

[2]) Tribus qui sequuntur versibus inspectis nihil esse, cur hoc in versu Fleckeisenus pro codicum omnium memoria *quicquid est* substituerit *quid siet,* senties.

1153, Merc. 136[1]), Mil. 35, 1372, Stich. 202[1]), Trin. 88[1]), Truc. 940[2]); sequente verbo finito: Asin. 317, Cas. III 5, 14, 21, Men. 772, Merc. 527, Mil. 311. Subiectum autem est his locis: Poen. 538, Rud. 286, 292.

Tribus denique locis Plautinis et uno Terentiano haec verba liberiore modo cum verbo finito ita cohaerent, ut significent *utut est* «unter allen Umständen», eademque eis vis sit atque Truc. 254 *quicquid est futurum*[3]):

Curc. 694 ***Quicquid est,*** *ipse ibit potius.*
Merc. 608 ***Quicquid est,*** *ad capita rerum perveni.*
Mil. 585 *Verum tamen, de me* ***quicquid est,*** *ibo hinc domum.*
Ter. Eun. 548 *Nisi,* ***quicquid est,*** *procul hinc lubet prius quid sit sciscitari.*

Quater a *quicquid* suspensus est genetivus partitivus[4]) (cf. Lorenzium ad Pseud. 169):

Most. 801 ***Lucri quicquid est,*** *id domum trahere oportet.*
Pseud. 169 *Ego eo in macellum, ut* ***piscium quicquid ibist,*** *pretio praestinem.*
» 759 ***Quicquid incerti*** *mi in animo prius aut ambiguom* ***fuit.***
Rud. 1009 *Ni hunc amittis, exurgebo* ***quicquid humoris*** *tibist.*

Semel sequitur pronomen possessivum:

Cas. II 2, 29 *Hoc viri censeo esse omne,* ***quicquid tuomst.***

In eis quos adhuc memoravi versibus fere omnibus hoc pronomen compositum est cum forma *est*. Cum aliis verbi substantivi temporibus coniungitur his locis: a) *erat:* Cas. V 2, 34, 35, Rud. 58. *b*) *fuit:* Pseud. 759, Rud. 357. *c*) *erit:* Pers. 46; *inerit:* Rud. 1134, 1136, 1140[5]).

Cum in his locis omnibus nusquam exstet coniunctivus, apparet Cas. III 5, 18 et Geppertum falso edidisse *Nam nisi ex te scio,* ***quicquid hoc sit,*** *cito*, et Fleckeisenum recte emendasse ***quicquid hoc est,*** *cito*; et profecto teste Studemundo pro *hoc sit cito* in A exstat *hoc est cito hoc*, in B E J *hoc scito*. (De pronomine *hoc* adiecto cf. Men. 772 *quicquid id est*).

---

[1]) Merc. 136 *Loquere id negoti* ***quicquid est.*** # *Placide, volo acquiescere.*
Sic Pall. (A periit); *quid siet* Ritschelius.
Trin. 88 *Sed istuc negoti cupio scire* ***quicquid est.*** Sic Pall.; *quid siet* A; cf. etiam Cas. III 5, 21 *Sed hoc* ***quicquid est*** *eloquere, in pauca confer.*
Quibus versibus collatis etiam Stich. 202 sic lego:
Adeunt, perquirunt ***quicquid est*** *causae ilico* (*quid siet* A; *quicquid siet* B C D).

[2]) Persuasum habeo cum Gepperto hunc versum sic legendum esse:
Da tu mihi de tuis deliciis ***quicquid est*** *pausillulum. meum quicquid* F. Schoellius, cuius sententiam ut expedirem, mihi non contigit; *sū quicquid* B; *sum Quicquid* C D; *summis quid* Palmerius.
Cf. praeterea Poen. 538 *Quicquid est pauxillulum illuc, nostrum id est, quod intus est.*

[3]) Sine ulla idonea causa Schoellius (collato Mil. 311) hanc lectionem codicum A et Palatinorum auctoritate commendatam in *quicque est* mutavit.

[4]) Idem valet *quantum* (*est*) cum genetivo partitivo coniunctum, quam locutionem his locis inveni: Capt. 836, Merc. 663, Mil. 278, Poen. prol. 90, Pseud. 351, Rud. 706; — Ter. Phorm. 853.

[5]) De hoc versu cf. infra pag. 5.

Cum aliis verbis coniunctum est *quicquid*:

a) cum tempore praesenti: *habeo* Stich. 219, *habes* Aul. 653, *dicunt* Most. 667, *agit* Poen. 505, *sapit* Poen. 1200[1]).
b) cum tempore praeterito: 1) cum perfecto: *egi atque ago* Men. 118, *haesit* Rud. 984, *venit* Truc. 351, *fecit* Most. 1159, *malefeci* Epid. 677;
2) cum plusquamperfecto: *dixerat* Men. 483.
c) cum tempore futuro: *mentibitur* Mil. 35, *volet* Men. 529, *dicet* Men. 418, (*facere*) *occeperit* Capt. 467.

Quattuor locis post *quicquid* collocatus est coniunctivus:

1) Most. 782 *Magni sunt oneris:* ***quicquid inponas,*** *vehunt,*
ubi *inponas* ex notissimo secundae personae singularis coniunctivi usu «*quemlibet*» significat.[2])
2) Most. 173 *Virtute formae id evenit, te ut deceat,* ***quicquid habeas.***
3) Capt. 937 *Quid opust verbis? lingua nullast qua negem,* ***quicquid roges.***
His duobus locis coniunctivus legitur, quia enuntiata primaria ipsa hunc modum praebent.
4) Rud. 1140 ***Quicquid insit,*** *vera dicet.*

Hic coniunctivus quamquam sic expediri potest, ut cum idem valere atque futurum *inerit* dicamus, tamen cum in versibus 1134 et 1136 legatur *quicquid inerit*, etiam hoc loco emendare malim: *Quicquid* ***inerit,*** *vera dicet.*

Uno praeterea loco codd. Pall. et A coniunctivum exhibent:

Stich. 686 ***Quisquis praetereat,*** *cómissatum vólo vocari.*

Cum haec lectio et metro respuatur et a Plauti dicendi genere abhorreat, nec magis lectio *quisquis praeterit* in metrum quadret, Ritschelium recte emendasse opinor ***Qui*** *praetereat*; *quisquis* illud autem mihi videtur deberi homini interpretanti, qui quid significaret hoc loco *qui*, exprimere accuratius voluerit.

Solet pronomen *quisquis* usurpari in modum substantivi. Tribus autem locis Plautinis adiectivi munere fungitur, bis cum *homo* coniunctum (cf. *nemo homo* et sim.):

Amph. 309 ***Quisquis homo*** *huc profecto venerit, pugnos edet.*
Truc. 228 ***Quemquem hominem*** *attigerit, ...*

---

[1]) Huc non pertinet Pers. 398 *Vel tu me vende vel face* [***quic***]***quid*** *tibi lubet.* Sic Bothius; *quid* A cum Pall. Cum apud Plautum semper *quidlubet* neque usquam *quicquid lubet* sequatur imperativum ac ne semel quidem *quicquid* cum forma *lubet* coniunctum sit, aut cum Ritschelio (vide eius adnot. ad h. l.) emendandum est: *Vel tu me vende vel* [*me*] *face* ***quod tibi lubet*** aut syllaba ancipiti in dihaeresi post pedem quartum absolutum tolerata: *Vel tú me vénde vél facé* ***quod*** *tibi* ***lubét.***
Cf. Bacch. 866 *Potes.* # *Pacisce ergo, obsecro,* ***quod*** *tibi* ***lubet.***
Trin. 570 ***Quod*** *tibi* ***lubet,*** *tute agito cum gnato meo.*
Amph. 396 *Ut lubet,* ***quod*** *tibi* ***lubet*** *fac, quoniam pugnis plus vales.*
Rud. 1333 ***Quod*** *tibi* ***lubet,*** *id mi impera.*

[2]) Eadem de causa scribendum esse Studemundus in scholis docuit:
Truc. 768 *Nugae sunt: si stimulos pugnis caed****as****, manibus plus dolet.*
c(*a*)*edis* codd. Pall. et editiones.

Nec male initium septenarii trochaici in Palatinis mutili addito pronomine *quisquis* suppletum est:

Rud. 256 [***Quisquis***] *est deus, veneror, ut nos ex hac aerumna eximat.*

Ter mihi obviam fuerunt formae masculinae, ubi de feminis agitur: Cist. II 3, 66, Pers. 546, Rud. 1146, quos versus supra attuli. Huc accedunt Liv. tr. 36 R; Caec. com. 267 R.

Occurrunt omnino in fabulis Plautinis huius pronominis formae hae: 1) *quisquis*, quae et masculini et feminini vicem explet; 2) *quemquem*; 3) *quiqui* ablativus; 4) *quoquo* adverbium (sexies); 5) semel *quoquo modo* Men. 827; 6) *quaqua* Epid. 674, Mil. 92. Genetivum *quoiquoi* Ritschelius duobus locis in versum intrusit:

1) Bacch. 400 *Sisne necne, ut esse oportet: malus, bonus* ***quoiquoimodi.*** (*bonus qua cuius modi* B C D, *bonus cuiusmodi* Camerarius, *bonus cuicuimodi* Scaliger, *bonus quoivismodi* recte Luchsius).

2) Pseud. 741 *Murrinam, passum, defrutum, mellam, mel* ***quoivismodi.*** (*defrutum mellam mel quoivis modo* habet A teste Studemundo, *melinam* (vel *mellinam*) *mel quovis modi* B C D, *quoiquoimodi* Ritschelius, *quoivismodi* Lorenzius, Luchsius, A. Spengelius. Cf. Buggeum Philol. XXVIII pag. 563, Lorenzium Philol. XXXV pag. 176. Cf. etiam Pers. 386 ***Quoivismodi*** *hic cum fama facile nubitur*).

Numerus pluralis pronominis *quisquis* apud comicos in usu non fuit, quamquam non defuerunt homines docti, qui tales quoque formas Plauto vindicarent.

Itaque ut eo revertar, unde exorsus sum, Cas. II 2, 13 a Gepperto falso *quaequae* pro *quae* correctum esse nemo erit qui neget.

§ 2.

De ***unus*** *et* ***ullus*** *pronominibus.*

Plaut. Cas. II 3, 31 *Si ego in os meum vini guttam indidi.* # *Immo age ut lubet.* Sic B^1EJ teste Studemundo; *hodie* post *meum* addidit B^2. Geppertus verbo *infelicent* e proximo versu adscito hunc septenarium trochaicum composuit: *Infelicent, si ego in os meum vini guttam indidi* admisso hiatu inter *guttam* et *indidi*, quem qui tollere velit, eum *guttulam* pro *guttam* legere iubet. At *guttula* unico illo, quo praeterea apud Plautum occurrit, loco in versus clausula positum est, ita ut poetam in versus clausula hanc deminutivam formam semel sibi indulsisse suspicari liceat: Epid. 554 *A,* ***guttula*** *Pectus ardens mi adspersisti.* Reiecta igitur forma *guttulam* ita restituere possis Casinae versum, ut *unam* vel *ullam* addatur. Nam *unus* in sententiis condicionalibus legitur his locis:

Bacch. 433 ***si unam peccavisses*** *syllabam,*
Fieret corium tam maculosum . . . .
Rud. 1401 *Vapulabis: verbum* ***adde*** *istuc* ***unum.***
» 1007 *Verbum etiam* ***adde unum:*** *iam in cerebro colaphos abstrudam tuo.*
Truc. 613 *Verbum* ***adde istoc unum:*** *iam hercle ego te[d] hic hac offatim offigam.*

His exemplis collatis comprobabis vulgatae editionis supplementum: Rud. 1118 ***Si*** *praeterhac* [***Unum***] *verbum faxis hodie, ego tibi comminuam caput.*

Itaque aliter, atque a Gepperto factum est, divisis versibus A. Spengelius (Reformvorschl. pag. 357) non male hunc septenarium trochaicum constituit: *Si ego in os meum vini guttam* [***unam***] *indidi.* # *Immo age ut* (Spengelius male *uti*) *lubet.* Cum vero etiam *ullus* in sententiis condicionalibus apud Plautum quater extet: Bacch. 818 (*Hunc* ***si ullus*** *deus amaret, plus annis decem . . . mortuom esse oportuit*), Men. 153 (*Oculum ecfodito per solum Mihi, Menaechme,* ***si ullum*** *verbum faxo*), Capt. 131 (*Sed* ***si ullo*** *pacto ille huc conciliari potest . . . . possum perpeti*), Mil. 1207 (*nam* ***si*** *possem* ***ullo*** *modo Impetrare, ut abiret . . . ., operam dedi*), nescio an haec lectio Spengelianae praeferenda sit:

Si ego in os meum vini guttam [***ullam***] *indidi.* # *Immo age ut lubet.*

Quamquam Studemundus ne hac quidem versus forma contentus etiam tetrametrum creticum acatalectum agnosci posse demonstravit in scholis Argentoratensibus: *Si ego in os méum hodie víni guttam índidi*; de tertio pede molosso cf. Spengelium Reformvorschl. pag. 128 sq.

§ 3.

De ***quispiam*** *pronomine.*

Most. 345 Ritschelius Scaligerum secutus edidit:

Non mirum aut novom quippiam [*nunc*] *facit*; contra *Num mirum aut nouum quippiam facit* B (*quippiam* B^2, *quippam* B^1) C D et Lorenzius.

Ab hoc versu profectus usum pronominis *quispiam* accuratius ita explicabo, ut lectionem Ritschelianam nullo modo stare posse doceam. Solet quidem hoc pronomen suam habere sedem in sententiis et positivis et negativis.

Atque illi quidem generi 1) attribuendi sunt ei versus, in quibus post *si* vel *ubi* particulas condicionales collocatum est: Stich. 171 (*Nunc* ***si*** *ridiculum quaerat hominem* ***quispiam***), Aul. 344 (*Ibi* ***si*** *perierit* ***quippiam,*** . . . .), Rud. 813 (***si*** *appellabit* ***quempiam,*** . . . .), Cas. II 2, 3, Rud. 472, 701, Pseud. 253, 785, Truc. prol. 6; Ter. Hec. 349, Eun. 875. — Pers. 70 (***Ubi*** *quadrupulator* ***quempiam*** *iniexit manum*), Truc. 427 (***Ubi quippiam*** *me poscis*);

2) deinde ei, in quibus in sententiis interrogativis directis legitur: Trin. 89 (*Haben tu amicum aut familiarem* ***quempiam?***), Truc. 724 (*Quid? amator novos* ***quispiam?***), Vid. III 8 (*Est tibi in mercede servos, quem des,* ***quispiam?***), Ter. Eun. 462 (*Ituran, Thais,* ***quopiam*** *es?*).

Neologismum igitur statuo apud Terentium: Eun. 873 *saepe ex huius modi re* ***quapiam***
Malo principio magna familiaritas Conflatast,
ubi pronomen, de quo agitur, in enuntiato primario non secus usurpatum est, atque posteriore tempore fit apud Ciceronem eiusque aequales.

Negativus autem usus

1) primum quidem occurrit in sententiis finalibus negativis, cuius usus exempla Terentiana desunt: Capt. 127 (*Visam, **ne** nocte hac **quippiam** turbaverint*), Rud. 896 (***Nequi** significem **quidpiam** mulierculis*), Mil. 431 (***ne** clam **quispiam** Nos vicinorum inprudentis aliquis*[1]) *inmutaverit*), Most. 542, 966, Pseud. 186, 1096.

2) deinde in sententiis condicionalibus negativis antecedente *nisi* particula: Amph. 825 (***nisi si quispiamst** Amphitruo alius*), Cas. III 5, 65 (*Eo nunciam, **nisi quippiam** remorare me*), Curc. 52 (***nisi Sist** osculando **quippiam** inpudicior*). Ne huiusmodi quidem exempla apud Terentium deprehendi.

3) semel post *quam* collocatum antecedente comparativo: Most. 847 (*Quicquid est, errabo **potius quam** perductet **quispiam***).

4) in sententiis interrogativis negativis; idque fit in enuntiatis

a) ab *an* particula incipientibus: Plaut. Cas. III 5, 38 (***An quippiam** ad te attinet?*), Ter. Adelph. 336 (*Patiamurne **an** narremus **quoipiam?***),

b) praecedente *num* particula: Pseud. 219 (***Num quoipiamst** hodie tua tuorum opera conservorum Nitidiusculum caput?*), Pseud. 368 (***num** peccavi **quippiam?***), Rud. 948 (*Eloquere, quid id est.* # *Vide, **nu**[**m qui**]**spiam** consequitur prope nos*, cuius versus lectio propter neglectam dihaeresin dubitationi obnoxia est), Truc. 432 (***Num quippiam** aliud me vis?*), Truc. 639 (***Num quippiam** animum vortam ad mores mulierum?*, qui versus nondum sanatus est), Ter. Andr. 438 (***Num** illi molestae **quidpiam** haec sunt nuptiae?*).

Occurrit igitur *quispiam* pronomen etiam in negativis sententiis, nec tamen post particulas mere negantes velut *haud, non*. Itaque errant ei, qui Most. 345 pro *num* scribunt *non*, quod evitavit Lorenzius libros manu scriptos secutus.

Restat ut addam plurativo huius pronominis numero abstinuisse poetas comicos, deinde semel formam *quempiam* usurpari de genere feminino (Rud. 813), denique in dimidia fere parte omnium exemplorum e Plauti fabulis haustorum *quispiam* habere sensum negativum, apud Terentium bis sensu negativo, positivo quater exstare. Adiectivi munere apud hunc bis inter sex exempla fungitur, sexies apud illum inter triginta septem exempla.

§ 4.

De *quidam* pronomine.

Usurpatur hoc pronomen, ubi agitur de re aliqua vel de homine aliquo non mente ficto, sed revera exstante, cuius tamen nomen is, qui hoc pronomine utitur, eloqui aut non vult aut

[1]) Duo pronomina indefinita *aliquis* et *quispiam* unam notionem efficiunt: cf. quae Brixius ad Capt. 127 adnotavit. Cf. etiam Rud. 896, quem versum supra exscripsi, ubi B C D non inepte praebent *Ne quid . . . quippiam*.

non potest. Plerumque hoc pronomen, cuius numero singulari solo utitur Plautus, in modum adiectivi ponitur: Amph. 321, Cas. II 3, 25, Cist. I 2, 6, Men. prol. 17, 32, 588, 650, Merc. 98, 426, Mil. 131, 1012, 1016, Pers. 493, Pseud. 1218, Rud. 42, Trin. 12, 151, 324, 1138. — Ter. Andr. 69, Eun. 857. Haut. 526. In his, quos enumeravi, versibus omnibus praecedit substantivum, sequitur *quidam*; contra pronomen praecedit substantivo: Cas. prol. 37 (*quidam seruus* BEJ, *servus quidam* Geppertus perperam), III 3, 5, Cist. II 3, 42, IV 2, 50, 69, 70, Merc. 427. — Ter. Adelph. 647, Andr. 220, 221, Eun. 234, 564, 569, 985, Haut. 600, Phorm. 81, 95.

Cum pronomine *ille* consociatum est: Cist. IV 2, 71, 73, 74, Merc. 458, Trin. 342, quibus locis omnibus *ille quidam* unam quasi notionem efficit nullo alio vocabulo intercedente.

Merc. 451 a Ritschelio sic constitutus est:

Post autem communis mihi illast cum alio [***quodam***]. *qui scio, . . .?*

communest (*communis est* C D) *illa mihi cum alio* B C D numeris invitis. Equidem probata Bothii verborum *cum alio mihi* transpositione lego: *Post autem communest illa cum alio mihi. qui scio . . .?* Nam apud Plautum nullo alio loco *alius* cum *quidam* coniunctum legitur; contra Terentius semel (Adelph. 779) scripsit: *Est **alius quidam,** parasitaster paululus.*

Substantivi munere *quidam* his locis fungitur: Bacch. 1155, Cist. IV 2, 59, 72, Mil. 1016, Most. 1102, Trin. 903. — Ter. Eun. 483, Haut. 597, Phorm. 941.

Plurativus huius pronominis numerus non obviam mihi fuit nisi his quattuor locis: Ter. Adelph. 647, Titin. 156 R., Pompon. 192 R., Acc. 477 R. (*quesdam*).

§ 5.

De *quisque* pronomine.

Hoc pronomen vim infinitam cum distributiva coniunctam habet. Ab adiectivo numerali *omnis* ita differt, ut hoc cunctos simul cogitandos esse exprimat, *quisque* autem distributionem quandam significet. Haec significatio perlucet eis locis, quibus vocabulum *omnis* accuratius definitur hoc, de quo agitur, pronomine: Amph. 599 *Ordine **omnem** [**rem**], ut **quicque** actumst, . . .*; Pseud. 1312 ***Omnia**, ut **quicque** egisti, ordine scio*; Poen. prol. 107 ***Omnes** meretrices, ubi **quisque** habitant, invenit*; Rud. 1359 ***Omnia***, ut ***quicque** infuit* (*quit quil* [vel *quicquid*] *infuere* B C D), *ita salva sistentur tibi.*

Fleckeisenus (epist. crit. pag. XXII) etiam Rud. 1139 *Quid, si ista aut superstitiosa aut ariolast atque omnia, Quicquid inerit, vera dicet?* pro *quicquid* emendari iubet *ut quicque* sine idonea causa, ut mihi videtur, cum idem usus obviam fiat his locis: Rud. 357 *In Siciliam et **quicquid** domi fuit, in navem inposivit? Ea nunc perierunt **omnia***; Rud. 1256 *At ego deos quaeso, ut, **quicquid** in illo vidulost, Si aurum, si argentumst, **omne** id ut fiat cinis*; Rud. 1308 *Confractast navis, perdidi **quicquid** erat miser ibi **omne***; Cas. II 2, 29 *Hoc viri censeo esse **omne, quicquid** tuomst*; (cf. etiam Publil. 1 R. *Alienum est **omne, quicquid** optando evenit*).

Pronomen *quisque* suam plerumque sedem habet post certa quaedam vocabula:

I. Ac primum quidem post ***pronomen relativum*** collocatum est his in versibus, quos singulis pronominis relativi formis praepositis afferam:

1) *quod*. Trin. 206 ***Quod quisque*** *in animo habet aut habiturust, sciunt.*
Amph. 231, Pers. 373. — Ter. Haut. 484 (*Quod quoique quomque*).

2) *quo*. Pseud. 755 *Ceterum* ***quo quicque*** *pacto faciat, ipsi dixero.*
Curc. 467 (*quo in quemque . . . loco*), Truc. 778. — Ter. Hec. 216.

Accedunt duo versus, in quibus vocabula *quo modo* unum corpus ita efficiunt, ut pronomen *quisque* post *modo*, non post *quo* collocatum legatur:[1])

Trin. 855 ***Quomodo quicque*** *agerem . . . .*

Pseud. 675 ***Quomodo quicque*** *agerem, ut lenoni surriperem* (*eriperem* perperam Ritschelius) *mulierculam.*

Adverbia relativa, quae sequi solet hoc pronomen, haec sunt:

1) *ut*. Asin. 246 *Supplicabo, exobsecrabo,* ***ut quemque*** *amicum videro.*
Stich. 520 ***Ut quoique*** *homini res paratast, perinde amicis utitur.*
Poen. 486 ***Ut quisque*** *acciderat, eum necabam [ego] ilico.*
Pers. 451 *Atque edepol ferme* ***ut quisque*** *rem accurat suam, Sic ei procedunt postprincipia denique.* Sic fere Palatini, quamquam paulo supra (v. 449) legitur *Si quam rem accures sobrie aut frugaliter.* Pro *rem accurat suam* Ritschelius audacter scripsit *quidque occeperit.* Quamquam negari nequit pronomen *quisque* bis in eadem sententia inveniri in fabularum Plautinarum contextu (Pseud. 883), tamen habeo quae contra Ritschelii emendationem proferam. Ac primum quidem verbum *occipere* coniunctum est a poeta novies cum infinitivo (Bacch. 565, Cist. I 1, 70, Merc. 650, Pseud. 399, Rud. 377, 729, Trin. 457, 885, 1042), semel sequitur substantivum verbale tamquam obiectum (Stich. 760 *cantionem*), semel legimus (Stich. 75) *Principium ego quo pacto cum illis occipiam, id ratiocinor.* Illo uno loco, si Ritschelio adstipularer, pronomine tamquam obiecto usus esset poeta. Deinde, si *occeperit* scripsisset poeta, in versu proximo non *procedunt* posuisset, sed *procedent* vel potius *processerint.* Itaque eorundem verborum (in v. 449 et 451) repetitionem Plauto condonandam esse censeo. — Reliqua pronominis *quisque* post *ut* (vel *uti*) collocati exempla haec sunt: Amph. 599, Bacch. 1097, Capt. 797 (*genu ad quem adiecero* perperam Schoellius), Curc. 59, Men. 522, 572, Merc. prol. 45, Mil. 1264, Pseud. 679, 1312, Rud. 1359, Truc. 225. — Ter. Adelph. 399, Haut. 284, Hec. 603, 802. — Conf. etiam Merc. 216 *Quin quicque, ut dicebam, mihi credebat*; Pseud. 185 *Nunc adeo hoc factust optumum, ut nomine quemque appellem suo*; Rud. prol. 12.

2) *ubi*. Amph. 1048 ***ubi quemque*** *hominem aspexero, ...*
Amph. 1063 ***Ubi quisque*** *institerat, concidit crepitu.*
Asin. 945, Bacch. 471, Capt. 501, Poen. prol. 106, Truc. 252, Vid. fr. XX (ed. Studemund).

---

[1]) Itaque persuasum habeo vocem *quomodo* in fabulis Plautinis non recte in duas diremptam esse voculas ab aliquot editoribus.

II. Deinde invenitur post pronominis reflexivi formas has:

1) *se*. Amph. 231 ***Pro se quisque*** *id quod quisque et potest et valet Edit.*
Poen. prol. 45 *Bonum hercle factum,* ***pro se quisque*** *ut meminerit.*
Ter. Haut. 126 ***pro se quisque*** *sedulo Faciebant*[1]).

2) *sibi*. Curc. 180 *Dum mi abstineant invidere,* ***sibi quisque*** *habeant, quod suomst.*
Most. 103. — Ter. Haut. 383.

3) *suus* eiusque formas.
Epid. 212 *Filios* ***suos quisque*** *visunt.* # *Hercle rem gestam bene.*
» 214 *Obviam ornatae occurrebant* ***suis quaeque*** *[ibi] amatoribus* (qui versus num persanatus sit, valde dubito). — Asin. 186, Capt. 400, Merc. 1011, Rud. 980, Stich. [arg. II 7], 693, Truc. 416. — Ter. Adelph. 21, Phorm. 454.

Singularem occupant locum Stich. 62 *Iam quidem in suo quicque loco nisi erit mihi situm supellectilis* (*quicque* A B, *quique* C D) et Poen. 1178 *Tanta ibi copia venustatum aderat in suo quicque loco sita munde* (*quicque* A, *quique* B C D). Codicum Palatinorum lectionem amplexus Goetzius ablativum audaciore quadam attractione effectum non male statuit; quamquam alibi quoque *quique pro quicque* in libros Palatinos irrepsisse iam Ritschelius perspexit: Most. 254 *Suo [in]*[2]) *qui[c]que locost? vide capillum, satin compositust commode?* Eadem dubitatio remanet de Titin. 130 *vérrite aedis, spárgite, Múnde fácite in súo quicqué loco ut sita sint . . . .*, ubi Charisii liber optimus N *quisque* habet, editio princeps *quaeque*; Ribbeckius *quique* probabiliter restituit.

III. Cum *superlativo* coniunctum habes pronomen *quisque* hoc uno loco:
Most. 155 ***Optumi quique*** *expetebant a me doctrinam sibi*[3]).

IV. Denique post *ordinalia* positum est, quae et ipsa in superlativi modum formata sunt:
Trin. 524 *In* ***quincto quoque*** *sulco moriuntur boves.*
Pseud. 973 *Nam in foro vix* ***decumus quisquest****, qui ipsus sese noverit.*
quisque est A teste Studemundo, *quisquis est* B C D.

Merc. 66 *Nec nisi* ***quincto anno quoque*** *solitum visere,* ubi *quincto quoque anno* scriberem, nisi numerorum elegantia pessumdaretur; itaque soloecum verborum ordinem barbariei eius, qui hunc prologum Pseudo-Plautinum finxit, condonandum esse arbitror.

---

[1]) Cf. Accius 415 R. ***Pro se quisque*** *cum corona clarum conestat caput.*

[2]) Praepositionem *in* dubitanter adieci, quippe quae ceteris locis omnibus, ubi ablativus *loco* legitur, apposita sit: Bacch. 1039, Cist. IV 2, 30, Merc. 197, 231, Mil. 83, Most. 673, Pers. 632, Poen. 696, Pseud. 1052, 1254. (Cf. etiam Liv. trag. 39 R., Enn. 197 R., Afran. 104 R., Afran. 133 R.). Ceterum *in* hoc loco post *suo* collocatum est item atque *hoc . . . in loco* Stich. 685, *uno . . . in loco* Men. 56, *meo . . . in loco* Pers. 843. (Huc non pertinet *quo in loco*: Amph. 699, Curc. 467, 711, Epid. 81, Stich. 243, quippe quae sit solita verborum collocatio Plautina.) Atque eadem est eorum versuum condicio, in quibus pluralis *locis* legitur et qui item *in* praebent: Capt. 44, Curc. 507, Epid. 534, Men. 984, Mil. 413, Rud. 275, 1033 (Afran. 10 R.), exceptis his duobus, in quibus *in* addendum esse suspicor:
Amph. 568 *Homo idem [in] duobus locis ut semel sit?*
Rud. 907 *Qui [in] salsis locis incolit pisculentis.*

[3]) Cf. Lorenzium ad h. l.

Quodsi nullum quattuor illorum, de quibus dixi, verborum genus praecedit, Plautus pro *quisque* posuit *unusquisque:*

Asin. 153 ***Unumquodque*** *istorum verborum nummis Philippis aureis Non potest auferre...*
Bacch. 708 ***Unumquicque*** *agamus: hoc ubi egero, tum istuc agam.*
Curc. 295 *Ex* ***unoquoque*** *eorum excutiam crepitum polentarium.*

Duo loci in canticis excipiuntur: Amph. 634 (in versiculis iambicis) *ita* ***quoiqué*** *comparatumst, in aetate hominum* et Amph. 558 (in versu bacchiaco) *Proinde ut commodumst et lubet,* ***quicque*** *facias*; nam Amph. 241 ***Quisque*** *ut steterát, iacet óbtinetque órdinem* poeta numeris creticis coactus *quisque ut* pro *ut quisque* posuit.

In omnibus, quos adhuc commemoravi, versibus pronomen *quisque* distributiva significatione praeditum est. Aliis tamen exemplis comprobatur etiam relativam ei fuisse vim. Quod ubi fit, idem valet quod *quicumque* vel *quisquis*:

Asin. 404 ***Quisque*** *obviam huic occesserit irato, vapulabit.*
Merc. 20 *Haec non modo illum, qui amat, sed* ***quemque*** *attigit, ... multat.*
Men. 549 *Ut, quantum possit,* ***quique*** *liceant, veneant.*
Stich. 687 *Dum quidem hercle,* ***quisque*** *[veniet], veniat cum vino suo.*
Mil. 156 *Ni hercle defregeritis talos posthac,* ***quemque***[1] *in tegulis Videritis ....*
» 160 ***Quemque*** *a milite hoc videritis hominem in nostris tegulis, ...*
» 460 ***quemque*** *hic intus videro. ..., ...*
» 1391 *Qui omnes se amare credit,* ***quaeque*** *aspexerit.*
Ter. Hec. 386 ***Quaeque*** *fors fortunast, inquit, nobis quae te hodie optulit.*
Naev. trag. 22 R. *Liberi [sunt]:* ***quaque*** *incedunt, omnis arvas opterunt.*
[» 61 R. *Neminem vidi, qui numero sciret* ***quique*** (sic Ribbeckius parum probabiliter; *quum* L. Muellerus; *quod* bene Studemundus in scholis) *scito opust.*]

Praeterea singula de huius pronominis usu commemoro haec:

1) Forma singularis pronominis *quisque* coniungitur cum numero plurativo verbi:
Poen. prol. 107 *Omnes meretrices, ubi* ***quisque habitant,*** *invenit.*
Capt. 501 *ubi* ***quisque vident,*** *Eunt obviam.*
Most. 103 *Laudant fabrum atque aedis probant: sibi* ***quisque*** *inde exemplum* ***expetunt.***
Epid. 212 *Filios suos* ***quisque visunt.***
Curc. 180 *Dum mi abstineant invidere, sibi* ***quisque habeant,*** *quod suomst.*
Rud. 1252 *Sed quom inde suam* ***quisque ibant*** *divorsi domum, ...*
Simili modo expediendum est:
Men. 522 *satin', ut* ***quemque*** *conspicor, Ita me* ***ludificant?***

2) Ut pronominum *quisquam* et *quisquis*, ita etiam huius pronominis formae masculinae pro femininis leguntur: Poen. prol. 107, Pseud. 185 (ubi *nomine quemque* B C D bene, *quamque nomine* male A habet teste Studemundo). — Ter. Hec. 216.

[1] *quemque* B C D; *quemquem* ut videtur (vix *quemcum*) A teste Studemundo.

3) Solent *quisque* pronomine uti Plautus et Terentius tamquam substantivo, neque tamen desunt versus Plautini, in quibus adiectivi munere fungatur. Plerumque coniungitur cum *homo:* Amph. 1048, Asin. 186, Merc. 1011, Stich. 520; praeterea: Asin. 246, Curc. 59, Merc. 66, Trin. 524, Vid. fr. XX (ed. Studemund).

§ 6.

De *quisquam* pronomine.

Plaut. Cas. I 36 sqq. haec leguntur:

Post autem ruri aut ervom nisi comederis,
Aut quasi lumbricus terram: quod te postules
Gustare quicquam: numquam edepol ieiunium
Ieiunum est aeque atque ego te ruri reddibo.

Cum in v. 38 pronomen *quicquam* legatur in sententia affirmativa, quod ab elocutione Plautina abhorrere infra demonstrabo, in hoc vocabulo corruptelam latere constat. Sed ne *quippiam* quidem aut simile pronomen, quod soleat suum habere locum in sententiis affirmantibus, propter metrum restitui potest. Itaque alia via ingredienda est. Iam cum in Pseudolo Plautina v. 397 legatur: *Quoi neque paratast gutta certi consili* (*neque parata gutta* Pall., *nec paratust quicquam* A teste Studemundo), dubium vix est, quin suo iure Studemundus in scholis Argentoratensibus suspicatus sit idem vitium Cas. I 38 in codicibus Palatinis latere atque emendandum esse *quod te postules Gustare guttam* collato hodierno (de quo Loewius Anal. Plaut. pag. 167 dixit) Mediolanensium usu, secundum quem *gutta* (hodie *gotta*) minimam rem significat. Sed etiam si quis hanc vim inesse in voce *guttam* neget, conexus sententiarum nescio an eiusmodi sit, ut a verbis *quod te postules* novam sententiam ita incipere dicamus, ut servo illi, qui vexandus est, primum quidem nihil aliud ad edendum praebeatur nisi ervum aut terra, tunc autem siti vexato et petenti ut habeat quod bibat, ne gutta quidem potionis concedatur.

Restat, ut pronomen *quisquam* usque sensu negativo usurpatum esse a Plauto demonstrem.

I. *Quisquam* suum habet locum in eis enuntiatis, quae negativa aliqua particula adiecta prorsus negantur. Sunt autem hae:

1) *nec, neque:* Cuius usus exempla cum circiter centum inveniantur, singulorum versuum numeros afferre longum est.
2) *non:* Aul. 640, Cas. V 2, 32, Men. 613, 619, Mil. 1060, Most. 1073, Pseud. 306 (ne semel quidem apud Terentium).
3) *hau[d]*: Amph. 130, 680, 972, Bacch. 59, Curc. 171, Merc. 116, 386, Poen. 269. — Ter. Andr. 336.
4) *ne, neve, neu*: Asin. 230, 635, 779, 786, Bacch. 16, Capt. 456, 753, 795, Cist. II 1, 19, Men. 795, Most. 403, Pers. 86, 240, 241, Pseud. 506, 904, Trin. 143, 155, 519. — Ter. Hec. 565.
5) *ne — quidem:* Capt. 485. — Ter. Haut. 896.

6) ***numquam*** (vel *nec — umquam*), quae coniunctio Plauto summis in deliciis fuit (cf. Lorenzium ad Pseud. 133): Amph. 516, Bacch. 504, 922, Capt. 76, Epid. 80, Men. 447, 518, Merc. 460, 791, 957, Mil. 473, 538. Most. 307, Pers. 55, 128, 489, Pseud. 134, 507, 1018, Rud. 218, 581, 790, Stich. 77, 638, Trin. 237, 574, 801, Truc. 231, 307, Vid. V 6.[1])

7) ***nusquam:*** Asin. 631, Men. 780.

II. Adiectum est pronomen *quisquam* (*quicquam*) πλεοναστικῶς vocabulis: *nihil, nihilum*[2]) ***nemo***[2]) (Cas. V 4, 29, Pers. 648, Pseud. 809. — Ter. Eun. 227, 1032, Hec. 67); (Asin. 146, Bacch. 1036, Merc. 399, 507, 666, 819, 912, Most. 750, Poen. 504, Trin. 369. — Ter. Adelph. 366, Andr. 91, Phorm. 80, 250).

III. Idem legitur in enuntiatis secundariis praecedentibus his verbis negantibus: ***cave*** (Amph. 608, Asin. 30, Aul. 90, 608, Men. 994, Most. 401, Stich. 285. — Ter. Adelph. 170, Andr. 760, Haut. 826); *votare* (Capt. 703, Men. 848, Truc. 901); *nolle* (Bacch. 99, Trin. 945); ***dissimulare*** (Most. 1071); *nemo prohibet* (Curc. 35); *pernegare* (Trin. 357).

IV. Idem in sententiis interrogativis negativis praecedentibus his particulis: ***-ne*** (Bacch. 151, Merc. 154, Most. 925, Pers. 748, Pseud. 290); *an* (Pseud. 851, 853); *non* (Mil. 696); ***ut*** (Pers. 132; cf. Holtzii syntax. II p. 165); *en* (*umquam*) (Cist. I 1, 88); *num* (Merc. 131); ipso pronomine interrogativo addito: Amph. 626, Aul. 810, Most. 256; particula interrogativa omissa: Mil. 1043.

V. Idem in sententiis condicionalibus a *si* particula incipientibus. Forma igitur earum positiva est; sensum autem esse negativum ut demonstretur, singulos deinceps versus perlustremus:

1) Pseud. 905 ***Si*** *umquam* ***quemquam*** (sic Pall., *quicquam* A teste Studemundo) *di immortales voluere esse auxilio adiutum,*
Tum me et Calidorum servatum volunt esse. Sententia haec est: numquam ullum hominem dei tam plane servatum esse voluerunt, quam nunc me et Calidorum.

2) Aul. 645 *Di me perdant,* ***si*** *ego tui* ***quicquam*** *abstuli.* Quibus verbis se nullam rem abstulisse affirmat servus.

3) Amph. 271 *Certe edepol,* ***si quicquamst*** *aliud quod credam aut certo scio, Credo ego hac noctu Nocturnum obdormivisse ebrium.* His versibus nihil aliud significatur atque: «nihil aliud tam certo scio quam . . . . .»

4) Mil. 624 *Novo modo tu, homo, amas.* ***si*** *quidem te* ***quicquam*** *quod faxis pudet, Nihil amas*; id est: nullius rei pudor tibi sit in amando.

[1]) In his versibus omnibus (cf. etiam Naev. com. 14, 90, 96 R.) vox *quisquam* posita est post adverbium *numquam* (atque idem fit praecedente *nusquam*) praeter hunc unum:
Rud. 218 *Neque* ***quicquam umquam*** *is* [*id*] *profuit, qui me sibi eduxerunt* (*his* [vel *iis*] *profuit qui sibi* Pall., *illis profuit qui me sibi* A teste Studemundo). Prima specie Ambrosiani lectio *illis* valde arridet, sed exemplorum lustrata copia, quin *umquam quicquam* transponendum sit, dubitari vix potest. In Palatinorum lectione latere integram et genuinam (*is*) existimo et codicis A *illis* potius homini recensenti deberi. Alia est condicio versus Poen. 269, ubi legitur *hau quisquam umquam*, siquidem *hau quisquam* idem significat atque *nemo*.

[2]) Cf. Lorenzium ad Pseud. 786 et Most. 750, Dziatzkonem ad Ter. Phorm. 80.

5) Curc. 58 *Credam, pudor* ***si quoiquam*** *lenoni siet*; nimirum nulli lenoni pudor est.

6) Capt. 809 *Eorum* ***si*** [*ego*] ***quoiusquam*** *scrofam in publico conspexero,* ***Ex ipsis*** *dominis meis pugnis exculcabo furfures.* Parasitus exspectat cautum iri, ne ullius pistoris scrofa sibi obviam veniat.

7) Poen. 885 ***Si*** *erus meus me esse elocutum* ***quoiquam*** *mortali sciat.* His verbis Syncerastus servus significat domino suo persuasum fuisse Syncerastum nihil esse elocuturum.

8—11) Curc. 490 *Memento promisisse te,* ***si quisquam*** *hanc liberali*
Causa manu adsereret, mihi omne argentum redditurum.
Curc. 668 *repromisit mihi,* ***Si quisquam*** *hanc liberali adseruisset manu,*
Sine controvorsia omne argentum reddere.
Curc. 709 *Promistin,* ***si*** *liberali* ***quisquam*** *hanc adsereret manu,*
Te omne argentum redditurum? Ii, qui hanc formulam pronuntiant, dicunt Cappadocem lenonem, cum illud, de quo agitur, promissum daret, persuasum habuisse neminem virginem illam in libertatem vindicaturum esse, ita ut pronomine *quisquam* usurpato augeatur ludibrium, quo leno afficitur.

VI. Idem legitur in sententiis secundariis, quae pendent a sententia aliqua primaria negativa:
Aul. 92. ***Ne causae quid sit*** *quod te* ***quisquam*** *quaeritet.*
Asin. 175, 795, Merc. 145, Mil. 465.

VII. Idem quater deprehendi post *quam* particulam, cui praecedit comparativus:
Men. 192 *Superas facile, ut* ***superior*** *sis mihi* ***quam quisquam*** *qui inpetrant.*
Aul. 336 *Ubi siquid poscam, usque ad ravim poscam* ***prius, Quam quicquam*** *detur.*
Asin. 798, Cas. III 5, 41.

Postremo minutias quasdam congeram, quae in huius pronominis usu memoratu dignae esse videntur. Ac primum quidem formae eius, quae occurrunt, hae sunt:

N. s.	*quisquam.*	*quisquam* (Ter. Eun. 374, 678).	*quicquam.*
G. s.	*quoiusquam.*	—	—
D. s.	*quoiquam.*	—	—
Acc. s.	*quemquam.*	*quemquam* (Mil. 1060, Most. 608, Rud. 406).	*quicquam.*
Abl. s.	*quoquam* / *quiquam*	—	—

Numeri pluralis formarum vice semel fungitur forma *ullas*: Epid. 433 *Cave praeterbitas* ***ullas*** *aedis quin roges.* Desunt igitur formae feminini generis et praeter nominativum et accusativum neutrius.

Deinde quamquam hoc pronomen solet usurpari tamquam substantivum, inter 190 exempla Plautina quadragies adiectivi munere fungitur additurque plerumque ad generis masculini substantiva, qualia sunt: *vir, amator, leno, coquos,* ter ad feminina (Mil. 1060, Most. 608, Rud. 406) — quod ubicumque fit, forma masculina *quemquam* usus est poeta —, bis ad adiectiva neutra (Amph. 271, Capt. 703). Contra pronomen *ullus*, cuius usus in Plauti fabulis idem fere est atque huius, de quo agimus, pronominis, solet esse adiectivum; a qua tamen lege excipiuntur hi tres versus: Asin. 800, Rud. 1355, Most. 712 (*deorum ullum*). Denique bis forma singularis *quisquam*

coniuncta est cum prima persona numeri pluralivi: Amph. 1071 *Neque nostrum* ***quisquam sensimus,*** *quom peperit, neque* ***providimus***; Amph. 1099 *Neque gementem neque plorantem nostrum* ***quisquam audivimus.***

§ 7.

De **quis** *pronomine indefinito.*

Curc. 467 haec scripsit Goetzius: *Conmonstrabo, quo in quemque hominem* [*quis*] *facile inveniat loco.* Post *hominem* parva dicitur esse rasura in B; *facile* B[2] in margine, om. B[1] E J; *inueniatis* libri.

Vult igitur Goetzius pronomen *quis* hoc loco positum esse pro *aliquis.* Ac concedendum est hunc usum late patere in Plauti fabulis. *Quis* enim pro *aliquis* legitur:

I. post *si,* cuius usus centum et viginti exempla exstant. Haec tanta versuum multitudo in quattuor secedit classes:

1) Ac primum quidem octagies quinquies *si quis* idem valet quod *si aliquis,* cum *si* particula plane condicionalis sit. Afferam hoc loco nihil nisi quae de formula sollemni *si quid vis* memoratu digna sint, qua locutione exprimitur voluntas alicuius rem aliquam faciendi, quam alter imperaverit; unde fit, ut imprimis coniungatur cum imperativis:

Merc. 185 *Hoc, quod te rogo, responde.* # *Quin tu* ***si quid vis, roga.***

Aul. 161 *Immo* ***si quid vis, roga.***

Pseud. 479 *Set quid ais? quid, quod rogo te?* # ***Si quid vis, roga***[1]) (*quid hoc quod te rogo* libri).

Capt. 603 *Istinc* ***loquere, si quid vis,*** *procul: tamen audiam.*

Capt. 978 *Hegio, adsum:* ***si quid me vis, impera.***

Aul. 144 ***utere*** *atque* ***impera, si quid vis.***

Bacch. 1175 *atque ibi,* ***si quid vis,*** *filium* ***concastigato.***

Mil. 1031 *Adsum:* ***impera, si quid vis.***

Mil. 1037 *Adeat, si quid volt.* # ***Si quid vis, adi,*** *mulier.*

Amph. 391 ***Dic, si quid vis***[2]): *non nocebo.* # *Tuae fide credo?* # *Meae.*

Imperativi omissi sunt:

Aul. 209 *Redeo ad te, Megadore,* ***si quid me vis.*** # *Habeo gratiam.*

Asin. 639 *Secede huc, Libane: te volo.* # ***Si quid vis.*** # *Obsecro vos.*

---

[1]) Sic Ritschelius; *quid hoc, quod te rogo?* # *Quidvis roga* Fleckeisenus et Lorenzius. Utraque lectio stare potest; Ritscheliana enim commendatur duobus, quos supra exscripsi, versibus Merc. 185 et Aul. 161, altera autem his exemplis:

Amph. 708 *Alcumena, unum rogare te volo.* # ***Quidvis roga.***

Asin. 578 *hoc quod rogo responde.* # ***Rogita quidvis*** (male *quod vis* Goetz et Loewe).

Merc. 503 *Amabo ecastor, mi senex, eloquere* # ***Exquire quidvis.***

[2]) Sic Lindemannus, *dicito si quid vis* libri, *Dicito quidvis* Bothius Pyladem secutus. Harum quoque lectionum utraque congruit cum sermone Plautino. Ad Bothianam lectionem sustentandam adferri possunt:

Mil. 358 *Quid ais tu, Sceledre?* # *Hanc rem gero: habeo auris,* ***loquere quidvis.***

Aul. 777 *age nunc* ***loquere quidvis.***

Epid. 449 *Ego sum,* ***si quid vis.*** # *Quemne in adulescentia . . .?*

Merc. 287 *Quamquam negotiumst,* ***si quid vis,*** *Demipho, ...*

Apud Terentium huius usus hoc unum exemplum deprehendi:

Haut. 872 *Ego domi ero,* ***si quid*** *me* ***voles***[1]). # *Sane volo,* qui versus praeterea memorabilis est futuro pro praesente posito.

Bis a Plauto infinitivus appositus est:

Amph. 389 *Immo indutiae parumper fiant,* ***si quid vis loqui.***

Amph. 453 *Tuae* ***si quid vis nuntiare:*** *hanc nostram adire non sinam.*

Ac prior quidem versus idem fere valet atque: *loquere, si quid vis,* in altero autem Mercurius pro *si quid vis nuntiare, nuntia,* per ludibrium: *nostrae te,* inquit, *erae nuntiare non sinam.*

Semel in toto fabularum Plautinarum contextu haec plenior locutio legitur:

Capt. 618 *Do tibi operam, Aristophontes,* ***si quid est, quod me velis.***

Idem atque *si quid vis* significat *si quid opus est,* quae formula et ipsa coniungitur cum imperativo, plerumque cum *impera:*

Pseud. 713 ***Quin tu, si quid opust,*** *mi audacter* ***imperas?*** # *Tam gratiast* (*si quid opus est* fuit in A teste Studemundo, *quicquid opus est* B C D).

Aul. 193 *Dabitur: adiuvabere a me: dic,* ***si quid opust, impera.***

Poen. 1040 ***si quid opus est,*** *quaeso,* ***dic atque impera.***

Amph. 956 *Amphitruo, adsum:* ***si quid opus est, impera,*** *imperium exsequar.*

Cist. IV 2, 56 *Nunc ad te redeo:* ***si quid est opus, dic, impera.***

Rud. 124 *Tu,* ***si quid opus est, dice.***

Cist. I 1, 113 *Accipias clavis,* ***si quid opus tibi erit*** *prompto,* ***promito.***[2])

Subintellegendus autem est imperativus *impera* vel *dice:*

Asin. 118 *Nempe in foro?* # *Ibi,* ***si quid opus fuerit.*** # *Meminero.*

Apud Terentium non leguntur nisi hae locutiones:

Haut. 872 (cf. supra).

Phorm. 440 ***Si quid opus fuerit,*** *heus, domo me.* # *Intellego.*

2) Altera classis eis efficitur exemplis, in quibus *si quis* primum locum obtinet enuntiati alicuius interrogativi secundarii praecedente verbo aliquo exspectandi aut quaerendi:

Asin. 528 *An te id* ***exspectare*** *oportet,* ***si quis*** *promittat tibi?*

Stich. 152 *mittere . . . volo,* ***Si quae*** *forte ex Asia navis heri vel hodie venerit.*

Vid. V 1 *Ibo et* ***quaeram, si quem*** *possim sociorum nanciscier.*

---

[1]) Huius versus non dissimilis est Plaut. Mil. 1158 *Date modo operam.* # *Id nos ad te,* ***si quid velles,*** *venimus.*

[2]) Sic hic versus emendandus est (*si quid tibi opus est erit* codd.), quippe cum ceteris locis omnibus vocabula *quid* et *opus* dirempta non sint, excepto uno Cist. IV 2, 56, ubi tamen liberior verborum collocatio clausulae necessitate excusatur. ***Prompto*** autem pro librorum *promptu* emendavit Studemundus in scholis, quod nusquam *opus est* coniungitur cum supino in *—u* exeunte, sed sexcenties cum ablativo in *—o* cadente, conf.: *cauto* (Capt. 224, Cist. II 1, 55, Merc. 466, Most. 902), *dicto* (Amph. 169, Men. 592), *facto* (Amph. 169, 505, 776, Merc. 565, 566, Bacch. 604, Cas. III 3, 24, Epid. 285, Poen. 319, Stich. 61, Trin. 583), *viso* (Capt. 224, Merc. 330), *properato* (Trin. 807), *exquisito* (Amph. 628, 791), *exasciato* (Asin. 360), *advocato* (? Amph. 1038), *convento* (Curc. 302), *obvigilato* (Bacch. 398), *praecauto* (Merc. 333), *quaesito* (Curc. 596, Men. 915).

Vid. V 13 *Hic astabo atque* ***observabo, si quem*** *amicum conspicer.*
Pers. 44 ***Quaeram*** *equidem,* ***si quis*** *credat.*
Capt. 27 *Coepit captivos commercari hic Aleos,*
Si quem *reperire possit, qui mutet suom.*
Cist. I 3, 35 *Iubet illum eundem* ***persequi, si qua*** *queat Reperire* . . . .
Trin. 98 ***Exspecto, si quid*** *dicas.*
Trin. 148 ***Ausculto, si quid*** *dicas.*
Cist. IV 2, 9 *facite indicium, si quis* ***vidit, Si quis*** *eam abstulerit,* ubi tamen propter metrum anapaesticum post *vidit* non *Si quis*, sed *Quis* scribendum esse docuit nos Studemundus in scholis. Cum in illis exemplis omnibus in enuntiatis secundariis poeta usus sit modo coniunctivo, etiam Cist. IV 2, 14 scribendum esse suspicor: *Nunc vestigia hic* ***si qua sint, noscitabo*** (vulgo scribitur *sunt* cum codicibus).

3) Deinde pro *si quisquam* positum legitur *si quis* his locis:
Aul. 286 *Post* ***si quis*** *vellet ted, haud nolles dividi.*
Trin. 632 *Quid faceres,* ***si quis*** *docuisset te, ut sic odio esses mihi?*
Pseud. 777 ***Si quis*** *non hodie munus misisset sibi,* . . . .
Pers. 274 *Exhibeas molestiam, ut [ego] opinor,* ***si quid*** *debeam.*
Bacch. 285, 1037, Cas. III 2, 26, Truc. 376.

Eodem pertinet formula illa *age si quid agis*, cuius usus ut frequentissimus est apud Plautum, ita alienus a fabulis Terentianis. Corroboratur et augetur hac locutione vis imperativi alicuius. Sententia autem horum verborum haec est: si quid omnino agis, nunc tibi res quaedam agenda est. Legitur haec formula sequente enuntiato, cuius praecipua vis imperativo continetur:
Mil. 215 *Habet, opinor.* ***age si quid agis: vigila,*** *ne somno stude.* Stich. 715.
Trin. 981 ***Age si quid agis.*** # *Quid ego agam?* # *Aurum* ***redde.*** # *Dormitas, senex.*
Pers. 659 ***Age si quid agis.*** *ego ad hunc redeo.* ***sequere.*** *redduco hanc tibi.*

Praecedit imperativus hoc uno loco:
Epid. 196 *Age nunciam* ***orna*** *te, Epidice, et palliolum in collum* ***conice*** . . . .
Age si quid agis.

Pro tempore praesente futurum legitur:
Epid. 284 *Et placet.* # *Tum tu igitur calide,* ***si quid***[1]) ***acturu's, age.***
Cf. etiam Men. 946 *Obsecro hercle, medice, propere,* ***si quid***[1]) ***facturu's, face.***

Eadem est indoles locutionum quarundam, in quibus ad imperativi vim augendam idem verbum omisso pronomine *quid* additur ex *si* particula suspensum. E quibus ad unam personam pertinent hae:
Pers. 146 *Dum saturum vendas.* # ***Hoc, si facturu's, face.***

Pro imperativo positum est *quin* sequente indicativo:
Pers. 397 ***Quin tu*** *me* ***ducis, si quo ducturu's,*** *pater?*
Fr. Cist. ap. Fest. pag. 372 ***Quin is, si itura es?***

[1]) Sic enim Luchsius in Hermae vol. VIII a. 1874 pag. 118 hos versus restituit contra codicum auctoritatem, q[ui] *quidquid* vel *quicquid* pro *si quid* exhibent.

Ad plures hi pertinent versus:
Poen. 511 ***Quin, si ituri*** *hodie* ***estis, ite*** *aut* ***ite*** *hinc in malam crucem?*
Cas. IV 1, 7 *Quin agitis? hodie* ***quin datis, si quid datis?***
Cas. IV 4, 11 ***Date*** *ergo,* ***daturae si*** *umquam* ***estis*** *hodie uxorem* (*mihi* add. A)[1]).

Tertia persona singularis in his versibus exstat:
Mil. 1186 *Ut,* ***si itura siet*** *Athenas,* ***eat*** *tecum ad portum cito.*
Mil. 1299 *A matre illius venio.* ***si iturast, eat.***

Mente supplendus est imperativus:
Capt. 183 *Sed* ***si venturu's,*** *temperi.* # *Em, vel iam otiumst.*

Imperativi *audi* vice fungitur *ohe* interiectio:
Asin. 384 *Quis nostras sic frangit fores?* ***ohe,*** *inquam,* ***si quid audis.***[2])

Denique commemorandum est Stich. 713 in codd. sic legi: *Bibe, tibicen. áge si quid agis. bibendum hercle hóc est: né negá.* Ritschelius et recentiores eum secuti hanc versuum formam circumferunt: *Bibe, tibicen. bibe si bibis. bibéndum e. q. s.*, e versu 715 *age si quid agis* illud pro *bibe si bibis*, quod legitur in v. 733, irrepsisse rati.

Ex v. Cas. IV 4, 11 supra allato elucet pronomen *quid* in his locutionibus idem valere quod *quicquam*, quippe cum Plautus scripserit *si umquam*, non *si quando*, adverbium *umquam* autem suam habeat sedem in sententiis negativis.

4) Denique non desunt versus, in quibus *si quis* idem valeat atque simplex relativum *qui*, qui usus notissimus est e legibus, velut: *Si qui hominem liberum dolo sciens morti duit, parricidas esto* (Lex «Numae»), etc. Apud Plautum solet sequi aut praecedere *omnes* vel *is* vel *ille* (Terentiana huius usus exempla desunt):
Trin. 1168 ***Si quid*** *stulte fecit, ut* ***ea*** *missa facias* ***omnia.***
Rud. 373 *Aedilis est:* ***si quae*** *inprobae sunt merces, iactat* ***omnes.***
Asin. 763, Aul. 367, Curc. 85, Mil. 673, Most. 239, 703, Pers. 449, Pseud. 456, Rud. 26.

E neutrius forma *si quid* genetivus suspensus est:
Aul. 233 *Neutrubi habeam stabile stabulum,* ***si quid divorti*** *fuat.*
Epid. 526 ***Si quid*** *hominist* ***miseriarum*** . . . . .
Rud. 1285 *Ita omnes mortales,* ***si quid*** *est* ***mali*** *lenoni, gaudent.*
Bacch. 409, Men. 1030, 1144, Merc. 784, Pers. 674, Poen. 640, 792, 1327, Rud. 487, . Trin. 53, 1181, Truc. 377.

[1]) Hi tres versus memorabiles sunt propter adverbium *hodie* appositum, quod nusquam alibi in his formulis fit. Ad quorum versuum exemplum nescio an Most. 63 sit scribendum: *Date, si hodie éstis, ágite, pórro pérgité* (in Palatinorum archetypo videtur fere *dataesihonestis* fuisse). Ritschelius: *Date, si non estis.* [*ceterum*] *agite, pergite.*
Similis est versus Catulli XXXII 9 *Verum,* ***si quid ages, statim iubeto.***

[2]) Eadem sententia alibi exprimitur verbis *ecquid audis?* Velut Aul. 269 *heus, Staphyla, te voco.* ***Ecquid audis?*** *vascula intus pure* ***propera*** *atque* ***elue.***

In omnibus, quos adhuc attuli, versibus *si* et *quis* tam arte cohaerent unamque notionem efficiunt, ut nullo vocabulo intercedente dirimantur. Hoc ipsum autem in his fit versibus:

Merc. 177 *Credo, **si** boni **quid** ad te nuntiem, instes acriter.*
Amph. 636 *Quin incommodi plus malique ilico adsit, boni **si** optigit **quid.***
Pseud. 267 ***Si** lucri **quid** detur, potius rem divinam deseram.*
Men. 799 *Hinc stas, illim causam dicis.* # ***Si** ille **quid** deliquerit.*
Amph. prol. 106 *Quantusque amator, **si** ei **quid** conplacitumst semel* [*siet* (*si et E*) *quod* (*quod* om. E) libri].
Poen. 374 ***Si** ante **quid** mentitust*, ...
Bacch. 976 *Nunc Priamo nostro **sist quis** emptor*, ...

II. Non aliter atque post *si* particulam forma brevior *quis* pro *aliquis* occurrit post *quasi*, cuius generis nulli versus Terentiani, hi soli Plautini exstant:

Epid. 390 *Ego me excruciare animi, **quasi quid** filius Meus deliquisset.*
Stich. 77 ***quasi quid** indaudiverim* (*quid* A, *nihil* Pall.).
Stich. 84 *Sic faciam: adsimulabo, **quasi quam** culpam in sese admiserint* (sic Ritschelius, *quasi quom* A, *quasi aliquam* Pall.).

III. Eadem forma post *ubi* suam habet sedem:

Cas. II 6, 18 *Per pol saepe peccas: ita fit, **ubi quid** tanto opere expetas.*
Pers. 435 ***Ubi quid** credideris, citius extemplo a foro Fugiunt.*
Asin. 209 ***Ubi quid** dederam, quasi columbae pulli in ore ambae meo Usque eratis.*
Asin. 719 *Ecastor ambae sunt bonae.* # *Sciam, **ubi** boni **quid** dederint.*
Curc. 293 ***Ubi quid** subrupuere, operto capitulo calidum bibunt.*
Pseud. 681 *Bene **ubi quid** discimus consilium accidisse, hominem catum Eum esse declaramus* (sic libri Palatini et A [nisi quod in hoc *quod* pro *quid* et *declaratur* est teste Studemundo] invito metro). Ritschelius aut: *Bene **ubi** discimus consilium **quoi** cecidisse, h. c.* aut potius *Bene **ubi quoi** consilium accipimus accidisse, h. c.* Hanc alteram lectionem ego quoque praetulerim, quippe cum in priore vocabula *ubi* et *quoi* nimio intervallo seiuncta sint. Quamquam unum vocabulum intercedere posse inter *ubi* et pronomen illud, de quo agitur, docet Asin. 719, ubi vox *boni* intercedit, quam eandem *si* et *quid* separandi potestatem habuisse exemplo Merc. 177 supra allato probatur. Ceteris autem locis, quibus *si* et *quis* dirempta sunt, omnibus unum tantum vocabulum insertum est; Amph. 633 praeterea *boni* ante *si* positum poetam numeris bacchiacis coactum sibi indulsisse suspicari licet.

IV. *Quando* cum *quis* coniunctum bis repperi:

Men. 664 *Opera reddetur, **quando quid** tibi erit surruptum domo.*
Stich. 201 *Ei **quando quem** auctionem facturum sciunt*, ...

V. *Quom* cum *quis* coniuncti hoc unum exstat exemplum:

Pseud. 683 *Stulti hau scimus, frustra ut simus, **quom quid*** (*quod* A B C D) *cupientes dari Petimus.*

VI. Arte coniunguntur *quis* et *num* particula ita, ut oriantur formae pronominis *numquis*[1]). Neutrum *numquid* conexum cum verbo *vis, voltis* aliorumque verborum persona altera in sollemnis formulae consuetudinem abiit apud scaenicos poetas Romanos. Utuntur enim eis, qui, ubi de scaena decessuri sunt, ex alio vel ex aliis quaerunt, num quod impedimentum sibi sit abeundi. Itaque germanice vertendum est: «du (ihr) willst (wollt) doch sonst nichts mehr von mir?». De quo usu Donatus ad Ter. Eun. 341: «abituri,» inquit, «ne id dure facerent, *numquid vis* dicebant his, quibuscum constitissent.» Is autem, qui ita interrogatus est, aut respondet: *bene vale, vale atque salve*, similia, aut mandat rem aliquam abituro, qua mandata ille de scaena decedit. Res ipsa fert, ut harum formularum praecipuus sit locus in singularum scaenarum exitu. Quarum omnium locutionum, quae ad unam personam pertinent, hac sunt: *numquid vis?* (Amph. 542, 544, Bacch. 604, Capt. 191, Curc. 516, 525, Men. 328, 548, Merc. 325, Mil. 1086, Pseud. 665, Trin. 192, Truc. 883), *númquid mé vis?* (Aul. 263, Cist. I 1, 119), *númquid me vis céterum?* (Epid. 512), *numquid nunc aliud me vis?*[2]) (Mil. 575), *numquid nunc me vis?* (Aul. 175), *numquid nunciam me vis?* (Curc. 522).

Verbum finitum omissum est: *númquid áliud?* (Bacch. 757, Capt. 448, Mil. 259, 1195, Most. 404), *numquid amplius?* (Merc. 282)[3]), *numquid me?* (Poen. 801). Pleniores hac sunt formulae: *numquid aliud me morare?* (Poen. 911), *numquid est ceterum, quod morae siet?* (Cas. III 6, 20), *numquid, priusquam abeo, me rogaturu's?* (Trin. 198), *numquid aliud vis patri Nuntiari?* (Capt. 400).

Ad plures hac pertinent: *numquid ceterum Voltis?* (Pers. 708), *numquid ceterum Me voltis?* (Pers. 692). Cf. etiam Pseud. 370 *Numquid aliud* (sic Studemundus cum A in scholis, *alium* B C D), *etiam voltis dicere?*

Has formulas plerasque in versuum initiis positas legimus, pauciores in mediis versibus; in exitu suam habent sedem hac tres: *numquid amplius?, numquid me vis ceterum?, numquid ceterum* (*me*) *Voltis?*, quarum quae sunt ultimae duae, eae a poeta ita usurpatae sunt, ut vocabulum *ceterum* versum claudat. Licet igitur statuere Plautum vi metrica commotum in his tribus formas *amplius* et *ceterum* usurpavisse.

Addam hoc loco, qui sit harum formularum usus Terentianus:

Ac primum quidem ad unam pertinent personam: *numquid vis aliud?* (Eun. 191), *at numquid aliud?* (Eun. 272), *numquid me aliud?* (Eun. 363), *numquid, ..., aliud me vis?* (Phorm. 151), *sed numquid vis?* (Hec. 272), *numquid nos vis?* (Phorm. 458), *numquid vis?* (Adelph. 432). Pleniores hac sunt: *numquid vis, quin abeam?* (Adelph. 247), *sed numquid aliud imperas?* (Eun. 214).

Plures personas is, qui decessurus est, hac formula alloquitur: *numquid est, quod opera mea vobis opus sit?* (Phorm. 563).

---

[1]) Holtzius (Synt. prisc. scr. Lat. tom. I pag. 397 in adnotatione): «Masculinum,» inquit, «huius pronominis apud priscos scriptores nusquam potui invenire.» At in fabularum Plautinarum contextu occurrit his locis: Men. 609, Mil. 1019, Stich. 102, Trin. 69; apud Terentium: Eun. 549 (bis).

[2]) Simillima est locutio: *Num quippiam aliud me vis?* Pers. 735, Truc. 432.

[3]) Hunc versum A et Pall. sic exhibent: *Ei et hoc memento dicere.* # *Numquid amplius?* Brixius Phil. XII pag. 654 et cum hoc Goetzius perperam scripserunt *Ecquid amplius?* Sed cum *ecquis* pronomen nusquam apud poetas scaenicos hoc modo usurpetur, cum Ritschelio emendandum est: *Ei et hoc memento.* # *Fiet. Numquid amplius?* Infinitivum *dicere* enim ex glossemate natum esse apparet.

Haec igitur inter Plautum et Terentium intercedit differentia, quod tribus locis ex huius fabulis (Eun. 214, 272, Hec. 272) ante quaestionem ipsam positae sunt *sed* et *at* coniunctiones, qui usus abhorret a Plauti sermone, has interrogationes ubique ἀσυνδέτως iuxta verba praecedentia collocantis.

Nonnullis locis Plautinis legitur *numquae causa est, quin*[1]), quae locutio apud Terentium non invenitur. Pertinent haec verba ad stipulationem, ita ut alter alterum interroget, num recuset id, quod ei proponitur. Sequi solet responsum eius, ad quem interrogatio pertinet, quo se consentire cum altero profiteatur. Exempla haec enotavi:

Capt. 353 ***Numquae causast, quin,*** *si ille huc non redeat, viginti minas Mihi* ***des*** *pro illo?*

Aul. 262 *nuptias Hodie* ***quin faciamus, numquae causast?*** # *Immo hercle optuma.*

Trin. 1118 ***Numquid causaest. quin*** *uxorem cras domum* ***ducam?*** # *Optumumst.*

Pseud. 533 *Sed si non faxis,* ***numquid causaest.*** *ilico*

Quin *te in pistrinum* ***condam?***

Cum poeta modo *numquae causast* scripserit, modo *numquid causaest* nullo prorsus significationis discrimine intercedente, quoniam Pseudolum a Plauto sene compositam esse constat, nescio an concludere liceat Trinummum et Pseudolum fabulas aliquanto post Aululariam et Captivos esse doctas.

Illarum, quas modo attuli, locutionum similes hae sunt: Amph. 852 ***Numquid causam dicis, quin*** *te hoc* ***multem*** *matrimonio?*; Rud. 758 ***Quid causaest, quin*** *virgis te usque ad saturitatem* ***sauciem?*** — Ter. Andr. 600 ***Quid causaest, quin*** *hinc in pistrinum recta* ***proficiscar*** *via?*[2])

In universum tenendum est post *numquis* pronomen semper apud Plautum exspectari responsum praefracte negans, nec vero usurpari hoc pronomen nisi in interrogationibus directis. Huic posteriori legi cum repugnet Poen. 1007 *Roga.* ***numquid*** *opus* ***sit.*** # *Tu, qui zonam non* ***habes,*** scribendum est: *Roga nun[c], quid opus sit.* Condicio enim earum, quae verba faciunt, personarum, haec est: Agorastocles adulescens et Milphio servus inter se colloquentes subito conspiciunt Hannonem Poenum cum pedisequis in scaenam prodeuntem. Tum Milphio punice illos alloquendi venia impetrata, cuiates sint et ex quo oppido, quaerit, cumque Hanno et nomen et patriam professus sit, Agorastocles salutem illi impertire Milphionem iubet. Qui quoniam Carthaginiensis punice respondentis verba non intellexit, e bucca illum laborare et pro medicis habere adulescentem eiusque servum dicit. Tum dominus, qua est urbanitate, «si ita est», inquit, «nega nos medicos esse, nolo ego errare hospitem». Postquam Milphio domino obsecutus est, Agorastocles pergit: *Sic volo Profecto vera cuncta huic expedirier.* Deinde addit: *Roga nunc, quid opus*

---

[1]) Cf. de hac formula Brixium ad Capt. 353 et Lorenzium praef. ad. Pseud. pag. 9.

[2]) Ex hoc stipulationum usu asseverationes quaedam ortae sunt: Cas. V 4, 23 *si ego . . . . admisero,* ***Nulla causast,*** *quin pendentem me, uxor, virgis verberes*; Capt. 625 *Hoc si secus reperies,* ***nullam causam dico,*** *quin mihi Et parentum et libertatis apud te deliquio siet*; Rud. 1070 *Ni istum cepi,* ***nulla causast,*** *quin me condones cruci*; Rud. 1397 *Gratiam habeo et de talento* ***nulla causast,*** *quin feras*; Amph. fr. XIII (Goetz) *Nisi hoc ita factumst . . . .,* ***Non causam dico,*** *quin vero insimules probri.*

sit.[1]) Itaque servus interrogat: *Quid in hanc venistis urbem aut quid quaeritis?* Hoc modo omnia apte inter se congruunt. Accedit, quod, si *numquid opus sit* interrogasset, Agorastoclem abrumpere cupientem colloquium fecisset poeta, quod eum in animo non habuisse inde apparet, quod per multos versus diverbium continuatur.

Utramque legem Plautinam migravit Terentius. Bis enim *numquis* sensu negativo initium interrogationis indirectae occupare voluit:

Andr. 235 *Opperiar, ut sciam,* ***numquidnam*** *haec turba tristitiae* ***adferat.***

Eun. 341 *Dum haec dicit, abiit hora. rogo,* ***numquid velit.***

Idem adeo bis hoc pronomen sensu positivo usurpat:

Haut. 429 ***Numquidnam*** *de meo gnato* ***audivisti,*** *Chremes?*

Adelph. 265 *Ubist ille sacrilegus?* # *Me quaerit.* ***numquidnam ecfert?*** *occidi.*

VII. Addo nonnulla de *ecquis* (vel *equis*) pronominis interrogativi usu. Pronomen *ecquis* circiter centies exstat apud Plautum et plerumque quidem in initio interrogationum directarum, neque tamen desunt exempla, in quibus sedem habeat in interrogationibus a verbo aliquo interrogandi vel observandi suspensis: Capt. 511 ***Rogo,*** *Philocratem ex Alide* ***ecquis noverit,*** Curc. 341 ***interrogat, Ecquem*** *in Epidauro Lyconem tarpezitam* ***noverim,*** Aul. prol. 16 *Coepi* ***observare, ecqui*** *maiorem filius Mihi honorem* ***haberet,*** Asin. 344, Bacch. 235, Capt. 459, Most. 907, Rud. 125, Stich. 366.

Sollemnis quaedam formula Plauto (non Terentio) est: *ecquis hoc aperit ostium?* (vel similia verba), qua solent eae personae uti, quae cum domum aliquam ingredi cupiant, ianuam clausam inveniunt. (Cf. Amph. 1020, Bacch. 581 sq., Capt. 830, Most. 339, 445, 899, 988, Poen. 1118, Pseud. 1139, Rud. 413, Trin. 870, Truc. 255, 664).

Postremo loco commemoro in forma *ecquid* saepe nihil aliud nisi simplicis particulae interrogativae aut pronominis vim inesse (cf. Brixium ad Mil. 993), velut: Most. 319 ***Ecquid*** *tibi videor ma-ma-madere?*, Asin. 899, Mil. 42, 946, 1106, 1111, Most. 757, Rud. 1310; cf. etiam Curc. 127, Pseud. 370. Nec dissimiliter, ubi negativum exspectatur responsum, *numquid* usurpatur: cf. Pseud. 1330, Bacch. 1110, Pers. 551.

VIII. Ter in contextu fabularum Plautinarum, nusquam apud Terentium, *quis* pro *aliquis* positum est post *an* particulam:

Asin. 717 *Iam istoc est melior.* # ***An quid*** *est homini Salute melius?*

Merc. 145 *Dic mihi,* ***an*** *boni* ***quid*** *usquamst, quod quisquam uti possiet?*

Pseud. 29 ***An,*** *obsecro hercle, habent* ***quas*** *gallinae manus?* Sic libri; *habent[ne] gallinae* Mueller (Nachtr. z. Plaut. Pros. pag. 70); *an habent quas, o. h., g. m.?* Brugmannus, cuius emendationem non deerunt qui probaturi sint, ubi uno tantum vocabulo interposito (exceptis canticorum metris) *si quis, ubi quis* dirimi solere secum reputaverint.

---

[1]) Cf. Bacch. 702 *Nunc quid nos vis facere?* Cf. etiam Truc. 785.

IX. Post *-ne* particulam interrogativam legitur *quid* in hoc uno cantici versu:

Epid. 322 *Nimis diu maceror: sitne* ***quid*** *necne sit, Scire cupio.*

X. Post *quam* antecedente comparativo *quid* pro *aliquid* hoc uno loco deprehendi:

Men. 846 *Prius* ***quam*** *turbarum* ***quid*** *faciat amplius.*

XI. *Ne* particula finalis negativa cum *quis* conexum efficit pronomen *nequis*, cuius usus Plautinus non differt a posterioris aetatis usu. Nonnulla tamen exempla seligenda sunt, quibus formula quaedam efficitur, qua is utitur qui timet, ne quis alter verba sua auribus excipiat:

Mil. 1137 *circumspicite,* ***ne quis adsit arbiter.***

Trin. 146 *Circumspicedum te,* ***ne quis adsit arbiter.***

Mil. 607 *Sed speculabor,* ***ne quis*** *aut hinc ab laeva aut a dextera Nostro consilio* ***venator adsit.***[1])

Post *neu* particulam *quid* pro *aliquid* his duobus locis Plautinis collocatum est:

Bacch. 522 *Pater ne noceat* ***neu quid*** *ei suscenseat.*

Bacch. 690 *Immo tibi ne noceat* ***neu quid*** *ob eam rem suscenseat.*

XII. Usus verborum *nisi quis* plane congruit cum posteriorum scriptorum consuetudine neque quicquam est quod moneam nisi hoc, sexies legi in fabulis Plautinis — exempla Terentiana omnino desunt — formulam sollemnem, notissimae illi *numquid vis?* simillimam, *nisi quid vis*: Asin. 108 (*Ego eo ad forum,* ***nisi quid vis***), Poen. 190 (*Ego in aedem Veneris eo,* ***nisi quid vis****, Milphio*), Rud. 403 (*Ego eo intro,* ***nisi quid vis***), Aul. 579 (*Ego,* ***nisi quid me vis****, eo lavatum, ut sacruficem*), Trin. 458 (***Nisi quid me aliud***[2]) ***vis****, Philto, respondi tibi*), Mil. 185 (*Dixi ego istuc:* ***nisi quid aliud vis***). In quattuor primis versibus legimus in enuntiatione primaria tempus praesens verbi *ire*[3]). Quod idem verbum cum in duobus ultimis animo effingendum sit e perfectis *respondi* et *dixi*, nusquam poetam usum esse tempore futuro *ibo* tenendum est.

In omnibus, de quibus egi, versibus pronomen *quis* ad particulam aliquam sese applicat. Quaeritur nunc, num *quis* pro *aliquis* etiam ita positum sit, ut per se stet neque ulla particula fulciatur. Perlustranti igitur fabularum contextum haec huius usus obviam mihi fuerunt exempla:

Capt. prol. 45 *Inprudens, itidem ut saepe iam in multis locis*
Plus insciens ***quis*** *fecit quam prudens boni.*

---

[1]) Idem pronomine *numquis* exprimitur hoc modo: Most. 472 *Circumspicedum:* ***numquis est, Sermonem nostrum qui aucupet?***; Stich. 102 ***Numquis hic est*** *alienus nostris dictis* ***auceps*** *auribus?*; Mil. 994 ***Numquis hic prope adest, qui rem alienam potius curet quam suam, Qui aucupet me*** *quid agam?*; Trin. 69 ***Numquis est hic alius praeter me atque te?*** Hos quattuor locos si cum eis, qui supra exscripti sunt, comparaveris, pronomine *numquis* responsum negativum indicari senties.

[2]) Ritschelius (et cum eo Schoellius, qui adeo ausus est de his numeris cogitare: *Nisi quid me uis, Philto, aliud*) Hermannum secuti non recte scribunt *Nisi me aliud quid* ad evitandum secundi pedis anapaestum. At cf. Brixium ad Trin. 397.

[3]) Idem fit in hoc simillimo versu: Cas. III 5, 65 *Eo nunciam, nisi quippiam remorare me.*

Rud. 925 *Hoc ego repperi in mari [hodie]: quicquid inest, grave* ***quid***[1]) *inest: aurum ....*

Bacch. 274 *Etiamnest* ***quid*** *porro?* At fortasse scribendum: *Etiamnest? quid porro?*

Pseud. 1130 *Malum* ***quod*** *tibi di dabunt.*

Amph. 563 *Malum* ***quod*** *tibi di dabunt atque ego hodie Dabo.*

Most. 655 *Malum* ***quod*** *isti di deaeque omnes duint* (*quad* A teste Studemundo).

Iam cum primus horum versuum, qui solus exhibet formam *quis*, e Captivorum prologo Pseudo-Plautino sumptus sit atque corruptela in altero versu latere videatur, ne id quidem constat, tres ultimos versus, in quorum introitu *malum quod* legitur, huic usui vindicandos esse. Fortasse *quod* illud nihil aliud est nisi particula aliqua optativa, ita ut idem fere atque *qui* valeat.

Itaque, ut unde exorsus sum, eo redeam: Goetzii lectio in Curc. 461 recta esse nullo modo potest, sed corrigendum est: *Conmonstrabo, quo in quemque hominem facile inveniatis loco* servata voce *facile*, quam a prima B codicis manu omissam altera manus addidit. Quamquam concedendum est hunc versum a Plauto non magis conscriptum videri quam totam huius fabulae parabasin, quam et ipsam homines docti a Plauto abiudicaverunt.

Longius a Plautina consuetudine distat Terentius, qui duobus locis neutro *quid* pro *aliquid* utitur, tribus masculino *quis* pro *aliquis*, etiamsi nulla earum, de quibus supra diximus, coniunctionum praecedat:

Adelph. 443 *Haud cito mali* ***quid*** *ortum ex hoc sit publice.*

Haut. 458 *pytissando modo mihi* ***Quid*** *vini absumpsit, «sic hoc,» dicens «asperum».*

Eun. 252 *Negat* ***quis****: nego; ait: aio; postremo imperavi egomet mihi ....*

Eun. 511 *Roget* ***quis****: «quid rei tibi cum illa?» ne noram quidem.*

Alter versus Plautinus, qui huic, de quo agimus, usui vindicari solebat, Pseud. 1284, accuratius indagata Ambrosiani lectione sic a Studemundo restitutus est: *Aperite, aperite. heus Simoni me adesse aliquis nuntiate* (*me adesse quis* Pall.). Commendatur haec lectio his versibus, in quibus omnibus pronominis *aliquis* forma singularis coniungitur cum imperativi persona pluralivi altera (ii autem, qui exire vel ostium aperire iubentur, servi sunt): Epid. 399 *Heus foras* ***Exite*** *huc* ***aliquis***; Merc. 130 ***Aperite aliquis.*** *ubi Charinus erus est?*; Merc. 908 *heus,* ***aliquis*** *actutum huc foras* ***Exite***; Men. 674 ***Aperite*** *atque Erotium* ***aliquis evocate*** *ante ostium*; Ter. Adelph. 634 *Heus, heus: Aeschinus ego sum.* ***aperite aliquis*** *actutum ostium*; Accius 425 (ed. Ribbeck) *Oeneum* ***aliquis cette*** *in conspectum aut nos ubiubi est,* ***ducite.*** Ubi cum nusquam legantur formae pleniores *exitote, evocatote*, suspectus est Stich. 67 *Si quis me quaeret, inde vocatote aliqui: aut iam egomet hic ero.* Sic A et Pall. invito metro. Nec tamen ausim confidenter hanc commendare lectionem: *Si quis quaeret, me aliquis inde vocate* (vel *inde vocate me aliqui*): *aut iam egomet hic ero.*

---

[1]) Sic Fleckeisenus. Hic tamen versus corruptus videtur esse. In B C D haec fere leguntur teste Studemundo, si a minutiis quibusdam recesseris:

Hoc ego in mari quicquid (*hic* addunt C D) *inest*
Repperi quicquid inest grave quidē instaurū hic
Ego inesse reor nec mihi conscius est ullus homo
Nunc haec tibi occasio gripe optigit ut liberes ex populo(*s*) *praeter te.*

§ 8.

De ***aliquis*** *pronomine.*

De huius pronominis usu ea tantum adnotabo, quae explicatione accuratiore digna sunt, omissis eis, in quibus Plauto cum vulgari usu convenit. Ac primum quidem

1) primaria eius significatio, quae erat *alius quis*, his perspicua est locis: Asin. 168 (*Modo quom* [*quod* libri] *accepisti, haud multo post* ***aliquid*** *quod poscas paras*), Aul. 24 (*ea mihi cotidie Aut ture aut vino aut* ***aliqui*** *semper supplicat*), Aul. 522 (*Aut* ***aliqua*** *mala crux semper est, quae aliquid petat*), Rud. 135 (*petunt Aquam hinc aut ignem aut vascula aut cultrum aut veru Aut aulam extarem aut* ***aliquid***), Merc. 660 (*Clam patrem patria hac effugiam aut* ***aliquid*** *capiam consili*), Men. 211 (*Aut sincipitamenta porcina aut* ***aliquid*** *ad eum modum*). Ex quibus versibus omnibus apparet genuinam illam vim plerumque esse servatam in enumerationibus post *aut* particulam. Eum autem versum, qui praeterea huic usui vindicari solet et quem Holtzius tamquam huius generis unicum affert, Capt. 382 *Nam pater exspectat aut me aut aliquem nuntium*, nescio an sic quoque interpretari liceat, ut *me* idem valeat, quod *me ipsum* («Denn mein Vater erwartet mich selbst oder [wenigstens] einen Boten»).

Iam Plauti autem temporibus hanc primariam significationem in oblivionem cecidisse inde colligitur, quod *alius quis* (praecedente particula *si*) semel in fabulis Plautinis et semel in Terentianis occurrit: Pl. Trin. 1184 *Ét eam et si* ***quam aliám*** *iubébis*; Ter. Phorm. 207 *Quid faceres, si* ***aliud quid*** *gravius tibi nunc faciundum foret?* Idem poeta semel adeo usus est locutione *alius aliquis:* Phorm. 770 *Ut sit, qui vivat, dum* ***aliud aliquid*** *flagiti conficiat.*

2) In enuntiatis condicionalibus negativis hoc pronomen, quod locum habere solet in sententiis positivis, septies in fabulis Plautinis Terentianisque deprehendi, quos tamen versus qui accuratius perlegerit, negationem non ad pronomen ipsum, sed ad totam sententiam pertinere facile concedet: Bacch. 556 (***si non*** *fecero Ei male* ***aliquo*** *pacto. me esse dicito ignavissumum*), Men. 847 (***Ni*** *occupo* ***aliquod*** [*aliquid* B C D, cf. Studemundum in actis philolog. Carolsruh. pag. 52] *mihi consilium, hi domum me ad se auferent*), Capt. 530 (*nec copiast,* ***nisi aliquam*** *corde machinor astutiam*), Capt. 539 (*Occisast haec res,* ***nisi*** *reperio atrocem mi* ***aliquam*** *astutiam*), Ter. Phorm. 179 (*Nullus es, Geta,* ***nisi*** *iam* ***aliquod*** *tibi consilium celere reperis*), Haut. 391 (***Nisi*** *si prospectum interea* ***aliquid*** *est, desertae vivimus*), Haut. 670 (. . . ., ***Nisi aliquid*** *video, ne esse amicam hanc gnati resciscat senex*). Nec dissimiliter Plautus scripsit Vid. V 12 (*captam praedam perdidi,* ***Nisi*** *quid ego mei simile* ***aliquid*** *contra concilium paro*).

3) Similis est condicio horum versuum, in quibus negatio tollitur duobus vocabulis negantibus, quorum alterum in protasi, alterum in apodosi positum est: Men. 190 *Interim* ***nequis, quin*** *eius* ***aliquid*** *indutus sies*; Mil. 262 *Nam ille* ***non potuit, quin***

sermone suo ***aliquem*** *familiarium Participaverit*; Ter. Adelph. 855 ***Numquam*** *ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,* ***Quin*** *res, aetas, usus semper* ***aliquid*** *adportet novi,* ***Aliquid*** *moneat.*

Singularem quodammodo locum occupat Curc. 320 *Iam edes aliquid. # Nolo hercle «aliquid»: certum quam «aliquid» mavolo,* ubi parasitus per iocum in responso repetit vocabulum *aliquid* e praecedentibus verbis, ita ut dicat se nolle «aliquid» illud incertum, quod alter promiserit, sed certam aliquam rem.

4) Omnia igitur quae congessi exempla ut formam negativam, ita sententiam positivam exhibent. Bis tantum pronomen *aliquis* in enuntiato prorsus negativo usurpatur in Plauti fabulis: Merc. 334 *praecautost opus,* ***Ne*** *hic illam me animum adiecisse* ***aliqua*** *sentiat* et [Poen. alt. ex. 8 (= 1379 ed. Goetz) *metui . . . .* ***ne*** *cognosceret Eas* ***aliquis:*** *quod nunc factumst*].

§ 9.

De ***quicumque*** *pronomine.*

Quisquis pronominis formas plurativi numeri non usurpari in fabulis Plautinis et Terentianis supra dixi. Ter pro forma neutrali *quaequae* Plautus usus est forma *quaequomque:* Trin. 437 *Di duint Tibi, Philto,* ***quaequomque*** *optes*[1]). *quid agit filius?*; Mil. 1038 *Meum cognomentum commemorat. di tibi dent* ***quaequomque*** *optes*; Asin. 44 *Di tibi dent* ***quaequomque*** *optes.*

Cetera huius pronominis exempla haec sunt: Masculinum singularis bis legitur: Pers. 65 (*Nam publicae rei causa* ***quicumque*** *id facit*[2]) [*quicumque* B, *quicum* C D, *qui non* Pylades]), Pers. 210 (*Quid male facio aut quoi male dico? #* ***Quoi*** *pol* ***cumque*** *occasiost*). Formae plurativae masculini generis unum exstat exemplum: Bacch. 1087 (***Quicumque*** *ubi ubi sunt, qui fuerunt quique futuri sunt posthac*). Neutrum singularis numeri legitur Cist. II 1, 21 ***quodcumque*** *optes, tibi velim contingere*; Amph. 171 ***Quodcumque*** (sic codd., Goetz et Loewe perperam *Quidque*) *homini accidit lubere,* [*id*] *posse retur.*

---

[1]) In hoc et in duobus qui sequuntur versibus et Cist. II 1, 21 in enuntiatis relativis legitur coniunctivus et omnino in talibus enuntiatis optativis hic modus suum habeat locum (velut Pseud. 937 *Tantum tibi boni di inmortales duint, quantum tu*[*te*] *tibi* ***optes***; Stich. 469 *Bene atque amice dicis. di dent quae* ***velis***; Ter. Phorm. 552 *Di bene vortant quod* ***agas***; Hor. sat. II 8, 75 *Nasidienus ad haec: Tibi di quaecumque* ***preceris*** *Commoda dent*; Pers. 16, 483, Cist. II 1, 21, Trin. 1152, Poen. 1055, Epid. 6). Nec tamen Pers. 294 scribendum est: *Amicus sum: eveniant volo tibi quae* ***optes***, sed ***optas*** cum codicibus, siquidem *optas* hoc loco idem est atque *modo optasti.*

[2]) Posse etiam cogitari de senario iambico sic constituendo: *Nam publicai rei causa qui id facit* monuit Studemundus in scholis.

§ 10.

De **quilubet** *et* **quivis** *pronominibus.*

Pronominis *quilubet* genuina vis cum sit relativa, prioris partis *qui* antiquissimis temporibus semper obliquum casum exstitisse consentaneum est. Paulatim autem etiam ceterae formae et casus formata sunt et in usu fuerunt; quod tamen Plauti ipsius aetate raro factum esse inde probatur, quod in fabulis eius praeter accusativum dativus unus legitur: Poen. 227 *Sed vero duae, sat scio, maximo uni Poplo* ***quoilubet*** *plus satis dare potis sunt.*

In fabulis et Plautinis et Terentianis componi solet hoc pronomen non secus atque adverbia, quae ex eo orta sunt, cum altera imperativi vel hortativi persona. Mente supplendus est imperativus Pers. 604; desideratur, sed continetur verbo *sequor*, quod eandem habet vim quam *duc me*, Rud. 250; incerta res est Epid. 150 *Patiar ego istuc qua* (*quod* codd.) *lubet*, in quibus verbis vitium delitescere iam O. Seyffertus (Philol. XXIX p. 389) suspicatus est.

Similis est pronominis *quivis* condicio, cuius significationem non diversam esse a *quilubet* elucet e versibus talibus, quales sunt: Pers. 604, 606; nam Sagaristio servus, postquam v. 604 dixit: (*percontare*) *quidlubet*, in versu 606 utitur verbis: *percontare, exquire quidvis.* Atque idem conspicitur Cas. II 4, 22 (*Mihi illa nubet: machinare quidlubet quovis modo*) et Truc. 676 (*Dic, impera mihi quidlubet quovis modo*; libri habent *quid tibi et* pro *quidlubet*, quod cum felici coniectura adsecutus esset Buechelerus, parum prudenter respuit Schoellius).[1]) Hae tamen inter illa duo pronomina intercedunt differentiae, quod primum quidem *quivis* saepius usurpatur quam illud: *quivis* enim quadragies ter inveni (Bacch. 34, 400, 871, Pers. 386, Asin. 102 (bis), 179, 259, 578, 671, Capt. 895, Men. 425, Amph. prol. 27, 594, 708, 979, Truc. 676, 884, 924, Aul. 251, 777, Merc. 503, 855, 905, Mil. 358, 1157, 1293, 1322, Pseud. 471, 741, Trin. 277, 813, Rud. 713, 756, Poen. 437, 831, Cas. II 3, 5, IV 2, 15, Most. 410, 888, Cist. IV 1, 11, Stich. 627, Epid. 270), illud fere vicies. Deinde praeter accusativos *quidlubet* et *quodlubet*, quibus duabus formis poeta promiscue utitur, non progressus est ad alios casus formandos nisi uno illo quem supra commemoravi loco Poen. 227 *quoilubet.* Quod alteri pronomini factum est his locis: Rud. 756 (*Ni erit tam sincerum, ut* ***quivis*** *dicat ampullarius*), Amph. 594 (*hoc* ***quoivis*** *mirari licet*), Aul. 251, Bacch. 34, Cas. II 3, 5, Most. 410, Mil. 1157 (*Oppidum* ***quodvis*** *videtur posse expugnari*), Pers. 386 et Pseud. 741 et Bacch. 400 (***Quoivismodi***; cf. supra pag. 6), Amph. prol. 27, Mil. 1293, Trin. 813, Stich. 627, Asin. 179, Amph. 979, Truc. 676, Cist. IV 1, 11.

Maxima vero differentia eo efficitur, quod formae *quidlubet* et *quodlubet* et *quolubet* et *qualubet* certis versuum locis suam habent sedem, cum *quivis* in omnibus sedibus positum legas. Versuum genera, in quibus *quidlubet* deprehendi, haec sunt:

A. septenarii trochaici: *a*) in fine: Epid. 150(?), 696, Pers. 604, Rud. 1280; *b*) post dihaeresin: Bacch. 693, Cas. II 4, 22; *c*) in initio: Most. 809.

B. septenarii iambici: in prioris coli fine: Asin. 626.

---

[1]) Cf. etiam Asin. 179 sq. *eum* ***quovis pacto*** *condias Vel patinarium vel assum vorses* ***quo pacto lubet.***

C. senarii iambici, ubi fere semper extremam versus sedem occupant: Asin. 107, Curc. 38, Most. 601, Poen. 1087, 1351, 1352, 1353, Stich. 424, Trin. 519; *quidlubet* legitur ita, ut hoc vocabulo pes quartus terminetur, Truc. 676.

D. in canticis: Poen. 227, Rud. 250.

Quattuor illos locos, qui *tibi* inter *quod* et *lubet* insertum exhibent, supra pag. 5 in adnot. commemoravi.

Terentius pronominis *quilubet* formis ter usus est: semel (Haut. 464) in clausula senarii iambici, semel (Hec. 773) ante septenarii iambici dihaeresin, semel (Haut. 586) in medio versu. Haut. 464 *Faciat quidlubet*[1]) tertia verbi persona cum hoc pronomine coniuncta est, quod a Plauti usu abhorrere supra demonstravi. Requirenti mihi, qui sit pronominis *quivis* usus Terentianus, significationem eius relativam et genuinam perspicuam non esse nisi quattuor locis (Haut. 469, Adelph. 123, 829, Andr. 897) inveni; ceteris locis omnibus (Hec. 61, Haut. 135, 449, 470, 641, 687, 858, 876, Andr. 718, 902, 904, Adelph. 254, 862, Eun. 177) significat «jeder beliebige». Uno loco (Andr. 904) *una* ad formam *quaevis* additum est (*una harum quaevis causa*),[2]) duobus genetivus a *quidvis* pendet (Haut. 876, Andr. 897).[3])

---

[1]) Cf. Afran. 409 *Dum modo doleat aliquid, doleat* ***quidlubet*** (scil. *tibi*).

[2]) Simili modo Truc. 103 pronomen *aliquis* cum *unus* coniunctum est.

[3]) Cf. Plaut. Amph. prol. 27 *nostrum quivis.* — Ceterum et apud Plautum et apud Terentium hoc pronomen saepius substantivi quam adiectivi vice fungitur.

INDEX LOCORUM.

Versus asterisco * notatos in adnotationibus tractavi.